CAROLI
DE AQUINO
SOCIETATIS JESU
ORATIONUM
Tomus II.

Conv: Exc: S. Mariæ de Victoria Romæ

ROMÆ, MDCCIV. IV.

Ex Typographia Antonii de Rubeis
in Platea Cerenſi.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO I.

IN ELECTIONE

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

Digitized by Google

ANNIBALI ABBATI
ET
CAROLO ALBANIS
CLEMENTIS XI.
PONT. MAX. FRATRIS FILIIS
Sem. Rom. Convictoribus

CAROLUS DE AQUINO FELICIT.

UT *Veſtro, Clariſſimi Juvenes, nomini inſcriberem Orationem Gratulatoriam in Electione* CLEMENTIS XI. *Pontificis Maximi, Patrui Veſtri, à me Collegii Romani*

nomine habitam, ab argumenti dignitate conſilium cœpi, à Veſtra cum Optimo Pontifice ſanguinis coniunctione fiduciam. Accedit ſimilitudo ſtudiorum, omniſque liberalis inſtitutionis ratio in hac ipſa ingeniorum Palæſtra. Hanc Ille poſtquam ad ſummam celebritatem evexit, emenſis feliciſſimè ſpatiis humaniorum divinarunque diſciplinarum; eiuſdem gloriam novis eximiæ benevolentiæ teſtimoniis prorogari voluit, cum Vos ad ingenuas artes educationemque Veſtro loco dignam eâdem viâ iuſſit eniti, ubi Ille ſplendidiſſima reliquit ad omnem recordationem futuri temporis impreſſa veſtigia. Vobis autem atque Reipublicæ ex animo gratulor, eas à Vobis palam exhiberi ſignificationes animi

Digitized by Google

ad omnia excelſa nati excultique, quæ digniſſimæ Eorum ſunt, qui ſummam expectationem meritò ſuſtinent tantæ imitandæ Virtutis. Nos verò Veſtra iſta tam excellenti laude eo maximè nomine gaudemus vehementer, quòd Nobis Patrui Veſtri Imaginem illam prope Divinam, non emortuis coloribus obſcurè adumbratam, ſed ingenii Veſtri, morumque ornamentis ad vivum expreſſam referatis. Iſtâ enim Indolis elegantiâ, iſtâ morum ſuavitate, eximio iſto pietatis ſtudio, & bonarum artium ardore ſic afficimur, ut Joanne Francisco Albano *planè revireſcente in Vobis geminatoque perfruamur. Quos verò fructus, quàm amplam laudum ſegetem à Te præſertim,* Annibal *natu Major, ſibi ſpon-*

det Reſpublica, qui ſummâ cupiditate & induſtriâ ad eas laudes contendis, quarum concentu nexuque abſolutiſſimo Patruus Tuus Clemens *oſtendit, nullum inſtrumentum ad ſummum rerum faſtigium expeditius eſſe Sapientiâ? Neque enim aliud tibi exemplar ad imitandum proponis, cum tam obnixo animo Eccleſiæ Faſtos, & ſacrorum Conciliorum ſcita pervolvis; cum Juris Prudentiæ, ac Pontificiarum Sanctionum cognitionem Theologiæ intelligentiâ nerviſque corroboras; cum ad Græcas literas tanta alacritate adjungis animum. Quid enim de Politioribus literis dicam, in quibus haud ulli certè, quàm mihi eſt exploratius, abunde à Te ingenio atque ſedulitate rudem Cultoris*

ma-

manum fuiſſe ſuppletam? Verùm prolixa in me humanitate benignè amanterque præſtas, ut omnes intelligant, Tibi facultatem fortaſse meam, non certè voluntatem aut ſtudium defuiſſe. Tam claris tamque præſtantibus animi dotibus haud dubiè conſequi poſſes, ut præcipua quadam honoris teſtificatione ab æqualibus Tuis diſtinguereris, tametſi ex maximà inter Mortales dignitate in Patruum Tuum collatâ, nulla Tibi amplitudo, quam certè ſummam eſſe nemo non percipit, acceſſiſſet. Ea porro id unicè videtur in Te contuliſſe, ut quam antea amabant omnes & amplectebantur modeſtiam, pudorem, facilitatem Tuam, nunc etiam demirentur. Equidem ab omni ſenſu humanitatis

tis alieniſſimum eum eſſe oportet, qui tanta animi Tui moderatione & æquitate non magnopere capiatur, omnibuſque laudum præconiis non prædicet & extollat mores iſtos ad modeſtiam quidem mirè compoſitos, ſed qui egregias laudes Tuas in ipſa, quam præſeferunt, demiſſione conſpectiores exhibeant. Verùm, niſi me coniectura fallit, mirabitur fortaſſe non nemo, à me Vobis Orationem hanc Collegii Romani nomine nuncupari. Cum enim conſtet, Vos ipſos Collegii Romani partem eſſe longè nobiliſſimam, non alienum modò, ſed planè ludicrum ac nugatorium videbitur, eandem Orationem ab iiſdem dicari ſimul, & recipi. Verùm ii, quibus hæc cavillandi otium eſt, expectent, dum Vobis Veſtra Vir-

tus

tus aditum ad graviores curas, longèque diſiunctas aperiet; tunc intelligent, Vos has etiam obire partes ſatis commodè potuiſſe. Agite poſtremò, Clariſſimi Juvenes, & in hujus Collegii firmiſſimum præſidium, in Reipublicæ ſpem certiſſimam, in CLEMENTIS XI. PONT. MAX. PATRUI VESTRI *diuturnum decus & gloriam feliciter adoleſcite.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

QUOD eſt in ſubitis triſtiſſimiſque caſibus uſitatum, ut primas ægritudinis partes ſtupor obtineat; tum querimoniæ, luctus, ejulatus, vulnerati animi teſtes, aut veriùs ſolatia, ſubſequãtur; idem nobis, ad optatiſſimos rerum eventus & ſumma gaudia, longè potiori jure contingeret, ſi in hac vitæ conditione perinde læta atque triſtia crebreſcerent; &, quarum rerum causâ acerbiſſimæ calamitates tranſverſæ per omnem vitæ partem incurrunt, earum nulla aditum nobis ad ſinceram lætitiam, nedum ad ſummam voluptatem obſtrueret. Certè, ubi primum publicè innotuit, Joannem Franciſcum Cardinalem Albanum, quem in hoc Gregorianæ Palladis Athenæo ingenii cultum capeſſere ante luſtra non ita multa me-

meminimus, Supremum Maximumque Chriſtianę Reipublicę Moderatorem renunciatum fuiſſe, hujus Lycei, cui ſumma ſcilicet à tanto olim Alumno, nunc Principe, Parente, atque Patrono celebritas conciliatur, non tam gaudium, alacritas, gratulatio, quàm quædam abalienatio mentis lætitiâ obſtupefactæ, nec ſatis ſuam felicitatem capientis, fuit. Verùm, quoniam in ſuſpicionem anguſti animi trahi poſſet hæc ipſa gaudii magnitudo, quæ nobis eloquendi ademerat facultatem; ſimul, quia noſtrorum pectorum ſenſus, ut prodire toti non poſſunt, ita nec immodicâ contineri diuturnitate ſilentii; erumpat tandem ex me vera vox, quæ omnibus faciat teſtatiſsimum, non perire apud nos gratiam atque memoriam beneficii, quod in potiſſima parte felicitatis ponimus, & cujus amplitudine impellimur ad Optimum Principem ſupra etiam quàm valemus, ſed adhuc infra quàm cupimus, efferendum. Atque utinam, quemadmodum veterum Germanorum moris fuiſſe accepimus, ut Diis gratias acturi in horum Templa veſtes inducerent linguis ubique excurrentibus ſcitiſſimè coloratas; ita me, quorum voluntatum interpretem agere neceſſe eſt, eorum etiam omnium linguis inſtructum ad dicendum fas eſſet

ac-

accedere. Quippe ſecus magnopere mihi video metuendum eſſe, ne id negotii videar ſuſcepiſſe, in quo & argumenti dignitatem nullâ ſim dicendi copiâ aſſecuturus, & ab iis, quorum vices gero, nullam gratiam initurus. Quòd ſi quis hujus dumtaxat lectiſſimæ Juventutis, quę hîc ad honeſta ſtudia informatur, partes tueri me putat, næ ille de hujus cauſæ magnitudine nimis anguſtè cognoſcit judicatque. Ut enim, quod immenſi eſſet operis, ab iis recenſendis abſtineam, qui poſitis in hac Palęſtrâ ſapientię rudimentis, ſummâ partâ gloriâ, diem ſuum obierunt; ut prætereæm Vaticani Patres Purpuratos facilè ducentos, Summos verò Pontifices omnino ſeptem, quorum nunc mihi vel ipſi cineres quodammodo exilire gaudio videntur; veſtra hîc agitur cauſa, vos reſpicit hæc actio, Sapientiſſimi Viri, luminaque clariſſima, quotquot in hac Urbe Gentium Principe, cujuſmodi plurium hìc ego præſentiâ cohoneſtor & recreor, ex his umbraculis ad pulverem, ad Solem, ad omnem promerendam claritatem nominis prodiviſtis. Video hanc noſtrę qualiſcumque demum laudis uſurpationem perſtringi facilè poſſe. Sed perfeciſti, Sanctiſſime Pontifex, ut, quæ decora non erat noſtri pudoris attingere, poſſimus etiam
præ-

prædicare,quia Tua: tamque hæc nobis dicere ſinè periculo liceat, quàm de Te ſinè dedecore tacere non licet:ut nobis fortaſſe verendum ſit, nequis fiduciam potiùs noſtram deſiderandam, quàm temeritatem arguendam putet. Verùm cum me earum rerum magnitudo circumſtet, quarum nec ſumma claritudo quãtumlibet impigræ mentis aciem recipit, nec copia patitur vel maximè cupienti animo morem gerere; imitari mihi propoſui Planetarum Principem, quem, cum Phaëtontem filium ad complexus & oſcula admitteret, radios coronarios priùs depoſuiſſe Poëtę comminiſcuntur. Non abſimili planè conſilio res àMaximo Pontifice poſt initum Summum Sacerdotium geſtas, tanquam imparem humanis oculis lucem, aſpectui Veſtro ſubducam. Sinite, ut tantiſper ex auguſtiſsima fronte humeriſque illa ſummi honoris inſignia detraham, quibus tam ipſe prægravari ſe opprimique per ſingularem animi moderationem profitetur, quàm Rempublicam Chriſtianam præter modum extolli atque clareſcere reliqui omnes intelligunt. De privato igitur, non de Principe, de Joanne Franciſco Albano, non de Clemente Undecimo inſtitui dicere, eo tamen inter utrumque temperamento, ut in privato Principis, in

Joan-

Joanne FranciſcoAlbano Clementis Undecimi illuſtria quædam auſpicia, & pluſquàm rudimenta eluceſcant.

Quod inter Pythagorę pręceptiones circumferri ſolet, ut ſe ab omni gerendo Magiſtratu Vir bonus abſtineat, fugite ſuſpicari, à deſpectione aut odio in Rempublicam aliquo ab eodem fuiſſe profectum. Sic autem exiſtimabat homo, ut in profanâ vetuſtate, ſapientiſſimus, procurationem omnem publici muneris rem ſacram atque divinam eſſe, à Diis, quorum munus eſſet, religiosè magis expetendam, quàm humanâ vel ambitione, vel induſtriâ temere ſuſcipiendam. Non ita multo ſecus Plato Divinus, quem virum in Charmide temperantem, in Lechete fortem, amicitiæ cultorem in Lyſide, in Philebo voluptatis hoſtem inſtituerat, eundem longo hujuſmodi laborioſoque ductu emollitum atque ſubactum, vix demum in libris de Republica admovit ad regimen Civitatis, quam erat ingenio, quam exitu feliciore complexus.

Agite verò, & in ipſo Joanne Franciſco Albano ſacri, ſummique Principatus (qua pertractatione nullam in rebus humanis, ut ſublimiorem, ita impeditiorem eſſe, præterit neminem) effigiem diſertiùs explicatam atque deſcrip-

ſcriptã ſuſpicite, quàm Xenophon aliquis, aut Plato ſuis coloribus bonum Civem, egregium Principem adumbraverit. Cum verò Albanum ipſum dico, non de antiquiſſimi generis dignitate ſermonem habeo. Scio equidem, gentem clariorem eſſe, quàm ut cujuſquam teſtimonio illuſtrari deſideret. Scio, hic etiam non deeſſe pervetuſtos generis Authores, incertoſque rerum maximarum rumores, veluti per manus traditos, ipsâque temporum obſcuritate clariores, quibus moris eſt primordia illuſtrium Familiarum auguſtiora facere. Sed ab ea annorum caligine claritudinem petere, nihil neceſſe eſt iis, qui in tanta luce verſantur. Facilè porro eorum cenſum inirem, qui domi foriſquè pręſtanti laude floruerunt; niſi prępoſterę leviſquè eſſet operæ, coram lucidiſſimo Sole, minoribus ſtellis illuſtrem noctem non admirari modò, ſed quærere. Atqui, quamvis non quòquam oculos Albanus poſſet convertere, ubi non illi veſtigia domeſticę laudis occurrerent, non idcirco erat neſcius, obſoletas Majorum & carioſas imagines, tum ſiqua ſunt congiaria atque ſtipendia, quibus homines Fortunæ ingenio obęrari ſolent, rem eſſe mutuatitiam & evanidam, ubi ſola laudatur; maximo tunc verò ſolùm in pretio habendam,

cum inde ſubſidia parantur atque inſtrumenta Virtuti. Hinc ille æra, hinc marmora, hinc imagines & monumenta ſibi quærenda eſſe conſtituit. Ex hoc fundo aſſiduis clariſque laboribus irrigato eos abũde fructus à ſe capiendos, quibus avitæ gloriæ pomœrium quàm latiſſimè ampliaret. A qua præſtantiſsimi Viri ſententiâ vehementer gaudeo me in gradum reſtitui, aliena potiùs circa ipſum, quàm ipſum quærentem.

Neque verò, dum iterum Albanum ipſum inquiro, illam dico oris & totius corporis dignitatem, quæ effigiem animi ſupra Fortunam poſiti prodit enunciatque. Quòd ſi cęleſtes Charites, ut eſt apud Heſiodum, Regum vultus ſuis manibus fingunt, illiſque lumen quoddam afflant divinum, ut iis naturę invitamentis eoſdem Populi ament ſimul & vereantur, quid noſtri Principis ſpecie dignius? quid liberalius? quid auguſtius? Vultus ingenuus, decora facies, acres oculi, ſtatus elegans, forma regia, & nullâ parte non felix. Ad hæc illa proceritas corporis, quæ ſupra cæteros eminet: vel ut Populorum animos gratiore vinculo flexa devinciat; ut nulla eſt in Iride major gratia, quàm quòd tam pulchra, tam elata terram extentis utrinque veluti brachiis

tan-

tangat & ampleƈtatnr: vel ut ab ipſa altitudine ad ſuorum defenſionem fortior eſſe noſcatur; quemadmodum editiora loca ſolent arces occupare, ut urbes validiùs tueantur. Ab iis verò gratiam colligere non ejus eſt Viri, cujus longè ſunt pulchriora animi lineamenta, quàm corporis.

Et quoniam in Pueritia, tanquam in ſpeculo, natura cernitur, in eâ annorum teneritate ſingularem quendam amorē ingenùarum artium ſic arripuit, ut ſe tunc primùm prodentis animi ardorem illum mirandum in modum obſtupeſcerent ii, quorum curam ſumma docilitate atque alacritate ingenii invitabat. Infixam adhuc illi, atque inſculptam animis gerunt ereƈtam & emicantem indolem, quæ, perinde ac Ver novum, reliquæ vitæ proventum ſpondebat uberrimum; & cujus admiratio nihil humile, nihil exiguum aut mediocre, ſed ſumma omnia atque præclara à tantis initiis expeƈtari jubebat. Equidem excellentis ingenii niſus nimiò ſupra id ætatulæ aſſurgentes, quædam publicæ felicitatis elementa atque præludia facilè interpretabantur;neque porro quidquam metuebant, ne ſe falſos habitura eſſet ea ſpes,quam ille certioribus argumentis in dies magis magiſque af-

firmabat. Iſocratis eſt dictum, diſcendi cupidum multa diſcere: qua ego voce nego veriorem ullam emiſſam fuiſſe. Eam ille, alteramque Naturæ vocem, quæ cupiditatem omnibus gloriæ ſummam ingenerat, avidiſſimè combibit; ſtatuitque occupare eum florem ætatis, omnique ſolidæ inſtitutionis fruge in animum veluti comportatâ, ad eas laudes contendere, quibus firmiori ætati dignitas & commendatio, ſenectuti authoritas comparatur. Non igitur ſplendido ſtudiorum obtentu ſegne otium tegere: nam plerumque, ut quiſque ingenioſiſſimus eſt, ita maximè laborem refugit, partemque ducit ingenii, oſtentationem deſidiæ.

Regiam inſiſtenti honoris viam prꝺſtò aderat eximia memoriæ vis, magnum utique ad ſapientiam compendium. Ea verò quàm ſit illi obſequioſa, quàm non precariò pareat, quàm non in uſum modò, ſed etiam in admirationem ſplendeſcat, abunde commonſtrat admirabilis vigor, mira celeritas, ſumma felicitas, quam prꝺſetulit in tantâ, quam ante Principatum ſuſtinuit, communium curarum cognitione, copiâ, varietate. Quò minùs mirari ſubit, ingenuarum cœtum omnem nexumque diſciplinarum certatim ſe ejus animo

in-

infudiſſe. Exiſtimatis Græcas literas omnis eruditionis & elegantiæ altrices unicas eſſe; iiſque ipſos doctrinarum fontes contineri? At quantâ illarum intelligentiâ polleat, docent publico uſui tradita monumenta, quibus nihil ad propagandam Seculi gloriam, nihil ad aſſerendam Græci ſermonis dignitatem ſtatuo eſſe præſtantius. Eloquentiæ laudes, & manſueta Muſarum ſtudia requiritis? At præ validiſſima dulciſſimaque hujus dicendi ubertate, evileſcunt aureæ catenulæ ex Herculis ore devolutæ: ut prætermittam nonnulla hujus etiam generis Poſteris tranſmiſſa, quæ ſummo judicio elaborata ad aliorū etiam inſtitutionem regulamque proficiant. Nam poëticas hilaritates quid attinet prædicare, cum in Muſarum contubernio ſinuque ipſo feliciter adoleverit, nec poſtmodum niſi ab earum cantibus aut graviorum curarum allevationem peteret, aut ſeverioris ſupercilii ſtudiis gratiam & ornamentum accerſeret? Neque enim abnuerim, nullam illum avidiùs doctrinarum partem, quàm ſacras litteras, & divinarum rerum ſcientiam coluiſſe: Theologicam præcipuè facultatem, quę, ut Homericus Tireſia, ſola ſapit; & quem in terras cæleſtem ignem non Prometheus aliquis ad

exitium, ſed ad ſalutem adduxit ipſa divini Patris Sapientia & Verbum. Neque eam ſolùm Theologiam dico, quę aut impeditos interioris fori nexus cauſaſque dijudicat, aut ad evertenda nova errorum portenta, externos hoſtes reſpicit impetitque; ſed illam in domeſtico pulvere diſceptatricem contentioſam, quâ nullum firmius Religioni pręſidium; cui ſubſervientem Dialecticen, tanquam Herculis Clavam, meritò, qui rem Catholicam perditam volunt, tantopere pertimeſcunt. Eâ ſolidioris doctrinę fruge corroboratum ingenium ad Juris Pontificii cognitionem, ſacramque illam ſocietatis humanę, paciſque tuendę magiſtram, Juriſperitiam impigrè advertit. Nimis avarè ſentiunt de humanis ingeniis, qui eadem nullum affirmant factura operę pretium, niſi remiſſo reliquis facultatibus nuncio, uni ſe tantùm, eidemque penitùs addixerint. Nam contra reputando, quemadmodum diſſectio manus in digitos non illam debilitat, ſed ad ſuos uſus reddit expeditiſſimam, ita cognitio artium plurimarum mentis aciem exacuit, robur intendit, explet aviditatem. Quòcirca egregius Adoleſcens ad omnem provocationem verę laudis continuò exarſit; univerſę cum profanę, tum ſacrę eru-

eruditionis indagini non imparem mentem appulit; & , cum nihil tempus de ardore, nihil labor de aſſiduitate remitteret, minimo negotio factum eſt, non modò ut nihil tam eſſet perplexum, quod non intimè pervaderet, ſed ut nuſquam ſuaviùs, quam in iis ſtudiis conquieſceret. Hoc nimirum illud erat, quòd quicumque eum noſcerent, ita laudarent, ut mirarentur; ita ſuſpicerent, ut nunquam commendare deſinerent.

Cumulabat commodè gratiam nulla oſtentatio ingenii, nulla doctrinę jactatio, quod ſciret eſſe à doctorum elegantiâ remotiſsimum. Quare cum ęqualibus ſuis ſic agebat, ut à quibus literarum gloriâ ſecernebatur, cum iiſdem ſe ſermonis affabilitate, & vitę conſuetudine exęquaret. Neque enim ſecus ingeniis, atque ſpicis agrorum pondus ineſſe arguit ipſa demiſſio, elatio fallaces atque inanes accuſat.

Minimè verò longum ſermonem ſibi depoſcunt, in eo flexu ætatis illecebris opportunæ, illibati mores, quos nullis incitamentis à virtute detorſit voluptas, Siren illa in Adoleſcentiæ freto poſita, quam qui ſemel intra muros, ideſt, intra pectus admiſerit, excuſſo rationis gubernaculo, devïis itineribus in om-

nem licentiam abripitur. Itaque ab eâ Biantis præſcriptione nunquam deflectere; piè ut ſentias; honeſtè ut loquaris: animum in poteſtate, cæleſtia ſolùm in bonis habere: laudis alienæ non invidus, ſuæ parcus eſſe: amicitias, non quę dulciſſimæ eſſent, quærere, ſed ita affici, ut quæ honeſtiſſimæ eſſent, duceret jucundiſſimas.

Quem talibus tantiſque ingenii, diſciplinæque præſidiis ad ſummum fortunæ cultum natura genuerat, ratio formaverat, voluntas incenderat, nefas erat ultra privato otio delitescere; ſed ad Reipublicæ uſus & commoda, tanquam in Arce Minerva Phidiæ, extolli conſecrarique debuit. Cùm enim à tot animi ornamentis clarisſimus eſſet, latere non poterat; cum publicæ utilitati, Romanæque Sedis gloriæ longè addictiſsimus, non debebat. Pręſertim cum ſuopte ingenio nihil ipſe delectaretur lucifugâ quâdam ſapientiâ, quæ intra parietes, ut Cynicus ille Lucernarius intra dolium, concluſa, ſibique ſoli nata, nihil emolumenti in commune confert, nihil ad Reipublicæ commoda foras derivat. Vos autem beatiſsimas Urbes meritò duxerim, Vetus, & Reatina, te, Sabinenſis Provincia, feliciſsimam, in quas jus & imperium obtinuit;

quas,

quas, veteris verbi memor, Magiſtratus virum oſtendit, ſanctiſsimis legibus temperavit. Vos certiſsimis teſtimoniis confirmate prudentiam, æquitatem, moderationem, in quarum Virtutum inſignibus longè ſplendidiùs, quàm in virgis, aut lictoribus majeſtatem circumtulit. Narrate probitatem, fidem, non labefactatam amicorum gratiâ, non muneribus, ſuaviſsimo ariete, oppugnatam. Dicite in cognoſcendis cauſis diligentiam, celeritatem in expediendis, in dirimendis integritatem; candorem, honeſtatem, religionem in conſilio habitam, non privata quædam compendia factitanda; ad quæ ſe demittere, id enimvero eſt, Juſtitiam artem facere, omnemque Præfecturæ dignitatem proterere, atque peſſundare. A quibus ille inquinamentis intantum abhorruit, ut non obſcura liberalitatis atque clementiæ veſtigia reliquerit ad memoriam earum Urbium ſempiternam. Siquidem, ut miſſas faciam tot ingenuas familias, tot ſublevata pietatis publicæ Domicilia; cujus, obſecro vos, benignitatis fuit, reis, qui causâ exciderant in forenſi Judicio, tantundem è privatis rationibus impertiri, quantum illis judiciali ſententiâ periiſſet?

Di-

Ditâ earum rerum famâ, in hanc Urbis lucem evocatur; ubi eum publica expectatio non modò ad purpuram Senatoriam, ſed ad ſummæ Majeſtatis & Religionis pulvinaria deſtinabat. In hoc ampliſſimo Orbis Theatro quàm mox, exaggeratâ quadam animi magnitudine, omnium Ordinum animos occupaverit, notius eſt, quàm ut à me lucem expectet. Hic verò qui prędicationem meam ſuis de tantâ Viri pręſtantiâ judiciis longè non ſuperet, video neminem. Rariſſimi exempli eſt, vel optimum quemque publici Conſilii Authorem atque participem inoffenſo curſu induſtriam ſuam probare multis continenter Principibus, moribus, ut aſſolet, ingenioquè diverſis. At, quem Innocentius XI. Apoſtolicis literis exarandis præfecerat, eidem Summi Paſtores in hujus locum ſuffecti non modò eam dignitatem, quoad illis vita ſuppetiit, ratam in poſterum firmamquè eſſe voluerunt, ſed clariſſimis illum honorum acceſſionibus illuſtrandum putarunt. Nam quòd Alexander VIII., cum de ſupplendo Senatorum Collegio cogitaret, nihil antiquius habuerit, quàm ut Albanum maximè in eum Ordinem referret, iſthuc ſcilicet pręcipuum maximumquè ſtatuo ejus Pontificis operum; cujus annos in Prin-

Principatu exactos latè fallitur; qui aliter atque trium Horatiorum virtutem æſtimat: ut enim hi magnorum exercituum animos, ut eſt apud Livium, ſoli gerebant; ita anni illi perpauci multorum fructus æquant, obſcurant gloriam ſæculorum. Perſpectam habebant ſapientiſſimi Pontifices ſummam Viri in pertractandis animis dexteritatem, in captandis opportunitatum articulis ſolertiam, in dubiis providendis caſibus ſagacitatem: laborioſum in negotiis, in periculis fortiſſimum, in conſiliis ex tempore capiendis mirè felicem compererant. Animum, tanquam in ſtatione, ſemper erectum, indeſidem operam, quæque rebus arduis conſpectior eniteſceret, fidem, integritatem, cui ne Livor quidem, in oculatiſſimâ præſertim civitate, labem aſpergeret, non obſcuris experimentis didicerant. Ad hęc, veriùs quàm de Tiberio dictum, negotia pro ſolatiis habere: tot tantiſquè gerendis rebus unum ſufficere; ipſum privatim omnia ſingulaquè curare, diſpicere; non alieno intellectu, aut mercenarî ſapientiâ indigere; apud Reges ſingulari extimatione, apud exteras Nationes celebritate nominis abunde pollentem eſſe. Mitto autem de hac Urbe, Curiaquè dicere, in cujus oculi Principum humaniſſimus

mus ferebatur, in cujus ore divinarum ejus laudum præconia habitabant; nec committam, ut in re apertiſſimâ videar eſſe ſolicitus.

Non tam præclarè agitur cum rebus humanis, ut qui graviſſimorum munerum adminiſtri ſummum apud Principes gratiæ locum obtinent, reliquis eâdem operâ arrideant: ſive odiosâ adversùs æquales potentiâ, & criminationi obnoxiâ; ſive ingenio multitudinis, cui nihil difficilius, quàm prodeſſe, & placere. At juxta mecum omnes intelligitis, in Albano tot tamque præclara judicia Principum cum reliquorum ſtudio concendiſſe. Pervicit hoc ille excelsâ quadam cæleſtiquè virtute, quâ invidiam domuerat, incredibili morum ſuavitate, quâ amorem publicum provocabat. Quamobrem vix ullę erant cauſæ operoſiores, quàm ut vulgaribus conſiliis expedirentur, de quibus non ad ipſum omnes referrent; raræ inter Patricios diſceptationes, quas Arbiter honorarius non dirimeret; id etiam conſecutus ingenii comitate, & opinione ſapientiæ, ut eos ipſos contra quos ſententiam tuliſſet, æquos pacatoſquè dimitteret. Quibus aut perturbatæ domeſticæ rationes, aut ſuſceptæ cum aliis ſimultates erant, in ejus ſinum fide ſpectatiſsimum querelas omnes, angores, ſenſus inti-

intimos effundebant. Nihil erat, quod à conjunctiſſimis ſibi quiſquam polliceri poſſet, quod non promptiùs ex hujus humanitate & ſtudio conſequeretur. Ejus authoritas apud omnes ſalutis Ara habebatur; Domus, commune in rebus arctis perfugium; Vox, Oraculum Civitatis. Nullo autem genere officii impenſiùs capiebatur, quàm ut eorum conatus juvaret, in quibus eſſet aliqua non alieni à literis ingenii ſignificatio; quarum Candidatis quotidie ejus limen obſidebatur, implebantur atria, fores impellebantur. Iis non modò authoritatem nomenque ſuum commodabat, ſed profuſis etiam largitionibus eorum inopiæ occurrebat, ut ab egeſtate & ſqualore poſſent emergere, nec illiberalem quæſtum cœptarent. Quorum ut pudori conſuleret, ipſas ſupplicum preces interpellabat; quas nempe ſciret apud ſe nec, ſi honeſta peterentur, neceſſarias eſſe, nec, ſi injuſta, efficaces. Licèt autem à publicis curarum oneribus diſtrictiſsimo confertim obſtreperent, in ædes, imò verò in animum omnes admittere: non magnitudinem negotiorum, non occupatam operam excuſare; ſed, ut eſt factus ad ingenium humanitatis, comiter appellare, benignâque oratione delinire, ut ſaltem ſpem bonam in cen-

ſum

ſum referrent ; nequaquam oportere ratus, quemquam ab alloquio Principis triſtem, ut ajebat ille, diſcedere. Tacitus verò præterire non poſſum eximiam humanitatem, quâ Urbis Lycea,& publica Gymnaſia frequentiſſimo conſeſſu ſuo pręſentiâque nobilitabat; non anguſtias ullas refugiens, quas magnitudine amplificaret ſuâ; non obſcuritatem, qui ſummam eſſet lucem, quòcumque ſe ipſum duceret, illaturus. Iſtiuſmodi laudes non Urbem, non Italiam modò, ſed univerſas Europæ Provincias in ejus admirationem erexerunt.Nego ullas eſſe alicujus nominis Academias; nego non obſcuras ullas Palęſtras ingeniorũ per Europam eſſe, quę non aſſiduè ejus laudibus perſonarent.Nullum tibi,Græcia,optatius ſignum eximiâ ejus benevolentiâ, ad fortunatè beatèque de veteri doctrinâ atque Religione ſperãdum, video eſse ſublatum. Nunquam Septentrio avitæ pietatis flãmis magis incaluit, quàm cum ille nobiliſſimum Svecię Regnum patrocinio complexus, amoris in illam ſui ſpirantia quædam pignora in lectiſſimę Juventutis egregiâ inſtitutione curanda palam exhibuit.

Eam Principis humanitatem, omneſque demerendi ſtudium mirè Familiares omnes ad Domini exemplum compoſiti exculpſerant.Il-

los

los nimirum ita inſtituerat, ut quamvis generis claritate præſtarent, ab aliis tamen non elatione, non faſtu, non, ut aſſolet, contemptu cæterorum, ſed morum facilitate, & animi moderatione diſtinguerentur. Nam de eximii Fratris, & ejuſdem Sobolis lectiſſimæ ſummâ elegantiâ, & moribus ſuaviſſimis, quos Delicias hujus Civitatis meritiſſimâ teſtificatione fatentur omnes & prædicant, tacere ſatius duxerim, quàm in tranſcurſu minuſque commodè dicere. Qui modò poſt ſummum inter mortales honorem in Familiam ſuam collatum, Pontificis Optimi gloriæ anxiè tuendæ unicè ſe ſtudioſiſſimos ubique commemorant: in ejus geſtorùm claritudine, atque ſplendore ſibi pretioſiſſimum Cenſum, longè ampliſſimum Patrimonium, eaſque opes eſſe, quæ non incendio, non prædonibus, non naufragio perire, non annorum loginquitate imminui, aliòque transferri poſſunt. O digniſſimam eorum vocem, qui Summo Principi ſanguinis conjunctione proximi, eidem ſe adhuc proximiores oſtendunt cæleſtis animi imagine, tantæque imitatione virtutis! Hæc nimirum ſumma decora fuerunt in cauſa, ut in poſtremis Comitiis, tam conſtanti Senatorum ſuffragatione Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus

gu-

gubernaculis publicæ ſalutis admoveretur.

Video cupidè expectari à vobis hunc locum, qui certè latior eſt, quàm ut illum hac temporis exiguitate percurram. Alter ab initis Comitiis menſis agebatur, cum Romæ vultus repentino pallore decoloravit vulnus illud toto Europæ pectore acceptum, Caroli II. Hiſpaniarum Regis interitus: quâ unius morte ingentium bellorum clades æquari non obſcurum iis erat, qui non numerarent, quem amitteremus Principem, ſed æſtimarent. Quotus enim quiſque erat, ad quem ille dolor non pertineret, cum in tanta Regnorum perturbatione, ne hunc quidem Olympi verticem cogitarent erupturi turbinis expertem futurum? Meminiſti, Roma, ejus diei, cũ ſordidata luctu, metu perterrefacta.... Sed nolo faciem trepidæ Civitatis, nolo ſummam triſtitiam ob oculos ponere. Quin eò ſolùm iſtud dictũ volo, ut vos ab illa tempeſtate & caligine ad aſpectum novi exorti Sideris, imò verò clariſſimi Solis alliciam. Maturavit ſiquidem ea res electionem Principis, qui perdifficili Reipublicæ tempore non imparem mentem afferret tot ſuſtinendis laboribus, quot eſſet haud dubiè in Principatus dotem, acerbiſſimam quidem, ſed neceſſariam accepturus. Erecti præſen-

ſentiſque animi Virum deſignare, & Albanum eligere, ejuſdem conſilii fuit. Neque enim docendi erant Senatores, quibus doctrinæ, quibus experientiæ ſubſidiis fultus eſſet: quàm illi explorata eſſent atque comperta arcana intima latiſſimi in terris Principatus, quem non ſecus à Principe cognoſcendum, quàm Fabulam ab Hiſtrionibus, Teſtudinem à Citharœdo, non inſcitè monuit Ariſtides. Nam ipſa tempora poſcebant Principis ætatem integram, qua fiebat unicè, ut illum concupiſcerent magis, quàm ſperarent, qui rem ad calculos recepti moris revocantes, humanis momentis divina conſilia expendebant. Nihil igitur moræ interponendum duxerunt, quò minùs prima ſuffragatione ad ſummum faſtigium extollerent eum virum, cui publici commodi rationes omnes præſtò eſſent, obſiſterent nullæ. Obſiſterent nullæ? O ſpes hominum inanes atque leviſſimas! O pulcherrimi conſilii importuniſſimum hoſtem! O deſignationem digniſſimam, quo minimè metuendum erat authore, prope convulſam! Scio, me vos non tenere ſuſpenſos: Albanum ipſum loqueris, dicitis; iſthuc jam pridem novimus. Noviſtis equidem. Sed, quod vos latere non poteſt, vereor, ut futuræ gentes ſibi perſuadere

C poſ-

poſsint: quod vos oculis uſurpaſtis, poſteritas ægrè factum putabit. Laborabit illa præſtare tam glorioſam fidem prodigio, quod ſolidum triduum atque trinoctium noſtros animos oculoſque tenuit ſtupore defixos. Neque verò hìc anxius referam, quemadmodum, eo accepto nuncio, veluti afflatu quodam noxio cohorruerit, exalbuerit metu, in intimum conclave ſe abdiderit, ut ſpatium dolori daret, habenas omnes lacrimis ſolveret. Fuerit hæc trepidatio naturæ, altiſsima quæque non ſinè formidine metientis. Neque verò commemorem, quo pacto ad Sociorum prope genua accideret, ad infimas obteſtationes procumberet, complecteretur, oraret ſingulos, ne ſeſe, remque publicam in caſum darent; ne artes ſuas, & colorem fortaſſe virtutis aliquem in laudem traherent: ab aliis potiùs longè dignioribus, undique ingruentibus in Eccleſiam calamitatibus, validiora ſubſidia peterent: omnes in id argumentorum copias cogeret: omnes machinas admoveret. Dixerit hæc aliquis ad officioſam concertationem urbanitatemque ſpectare. Sed neque illa admodum perſequar, ut moleſtiſſima deſtinatio fortem Virum in morboſum languorem dederit; utque, cum nihilo ſegniùs Patres propoſi-

poſitum urgerent, in affecto corpore validior animus tres ipſos dies noctesſque multiplici congreſſu clypeum non abjecerit, tantâque obſtiterit orationis vultuſque conſtantiâ, ut ſæculum fortiſſimarum Urbium expugnationibus inſignitum nullam ejus pectore arcem viderit aut laborioſiùs tunc obſeſſam, aut poſtea lætiùs expugnatam. Hæc etiam ſcilicet modica in illo fuerint atque vulgaria, quæ ſummæ virtutis apud alios haberentur. An non illa ſupra omnem fidem aſſurgunt, indictas eo nomine Supplicationes in Templis? vota ſuſcepta? doctiſſimos viros in conſilio adhibitos, qui obnitenti Religionem injicerent, ne publicum votum remoraretur? Quo piaculi metu obſtrictum animum, quid ſupererat, niſi ut ad extrema conſilia adigeret? Cujuſmodi autem illa fuerint, horret animus leviſſimè cogitare, nedum ſtudiosè moliri: fugam circumſpicere è Comitii ſeptis, ſi alicunde poſſet, demiſſo per feneſtram fune (ſummi Cęlites veſtram fidem!) ſplendidiſſimus evadere Fugitivus. Video vehementer vos commoveri tam ſolidâ tamque inauditâ laude conſtantiæ. In hujus ſcilicet ſocietatem non ſeſe offerunt temporarii naturæ impetus: nihil ex hac laude urbana comitas, nihil meditato

conſilio quæſitus verecundiæ color fucuſque decerpit. Scitis, nullam eſſe tam elaboratam fraudem, nullam tam operoſam nequitiam, quæ huc procurrere, & ſimulationis perſonam ſuſtinere tamdiu poſſit. Non habet hos nervos, non has vires exerit brevis illa & elanguida, quæ ambitioni quandoque ſervit, larvata demiſſio. Harum porro rerum tametſi Senatores ipſi graviores teſtes adſint, quàm ut aſſentatiunculæ cujuſpiam ſuſpicionem vereri poſſim, eas tamen ab omni involucri metu aſſerebat Princeps ipſe, apertus animi, cujus Oratio ex intimo ſenſu colorem duceret, ac generoſior, quàm ut mentem accommodaret verſutiis techniſque, quas Ancillis ſolùm relinqueret ac Servulis Comicorum. Nihil quippe minùs, quàm ad Aulica integumenta natus, vultum ad ingenium naturâ, non ad ſpeciem induſtriâ conformare didicit; nec, ut eſt apud veterem Scriptorem, aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere. Dum hæc agerentur, in exitu erat annus Sæcularis, cum, ſummâ Expiationum celebritate, humano generi hoſpitalem ſinum Roma laxavit. In tantâ convenarum advenarumque frequentiâ, quantam non antea quiſquam meminerat, Urbis viſendæ ſtudio, huc etiam confluxe-

fluxerunt, veneno depravatæ Religionis imbuti, multi Mortales. Utinam mihi eſset integrum, eos homines ubique diſquirere, undique excire. In unum globum cogerem univerſos, iiſque aſsociatus Vaticanas Ædes rectà peterem; poſtremò reſeratis auguſtiſſimi Comitii poſtibus, hujuſmodi arcanorum avidiſſimos in ipſum Lararium ferendis ſuffragiis conſtitutum inferrem. Agite verò, tunc dicerem, & oculati Teſtes otiosè perpendite hoc omne judicium, quod omnium graviſſimum jure cenſetur, apud vos verò fœdiſſimum in modum traducitur. Quantum, quæſo, ſalutationum, quantum officiorum expectatis in hoc tam amplo tamque ſublimi candidatorio fungendo munere? At Candidatus ante Aram devolutus in genua, pectus atque ora ſingultu quatiens, ſublatis ad Cælum palmis, demiſſo in terram, capite ſegniter obmuteſcit. Ubi ambitus? ubi prenſatio? ubi Comites? ubi Laudatores? ubi, ut inquit ille, omnia ſerviliter propter dominationem? docete, quem ambitioſus appellet comiter? quem ſolicitus demiſsè rogitet? quem callidus ſalutet officiosè? Mira conſenſione univerſi Senatus ſupremus Sacrorum Arbiter ſalutatus, omni collatæ Dignitatis jure ſe abdi-

cat; rem integram ad Patres rejicit; utque novæ ſuffragationis Authores eſſent, incredibili eoſdem demiſſione ac firmitudine obteſtatur. Demum intentato incuſſoque veluti telo Religionis obſtrictus, ita ſubmiſit animum, ut nihil in vitâ graviùs tuliſſe & ipſe fateretur, & nemo unus ambigeret. Non ignoratis, opinor, illud Senecæ effatum: durum verbum, Rogo. Accipite verò longè pulchrius documentum à Pontifice deſignato: durum verbum, Accepto. Legiſtis de Rege Thebano ſcriptum ad oſtentationem ingenii,

—— pœnas, & quidem feret graves,
Regnabit.

Legite autem in Clementis vultu ingenuam confeſſionem ſummi doloris, quo gloriæ ſuæ infeſtiſſimus ita animi angitur, ut præ ſe victimæ potiùs, quàm Sacerdotis, & quidem Summi ſpeciem ferat. Et quidem quamdiu contra omnium vota, veluti contra torrentem, brachia direxit? quàm laborioſi moliminis fuit minimè dedititium pectus pervincere? planè ut pateret, nihil ab illo magis ex deſpicientia factum eſſe, quàm imperare. Cajus Figulus, Conſulatus repulſam paſſus, cum poſtridie Romani Cives, conſulendi

cau-

cauſâ, ad ipſum veniſſent; Faceſſite hinc, dixit, Quirites; conſulere ſcitis; Conſulem facere neſcitis. Audite nunc longè diverſam orationem Pontificis, non quemquam juvare conſilio renuentis, non Reipublicæ privatam operam ſedulò impendere, non laboris conditionem ullam detrectantis, profitentis verò honores ſe ſolùm ſuos, ſolùm Principatus gloriam abnuere, refugere, perhorreſcere. Quòd ſi vos ad aliquos ſaltem menſes in Urbe ſubſiſtere rationes veſtræ ſinerent, perpetua à ſuſceptis Principatus inſignibus Pontificis ægrimonia doceret vos, hanc Orationem non in ore ipſius, ſed in corde naſci, verèque animi internunciam eſſe. Quæ verò præterea immortalia decora ſuſpiceretis! Nihil conſilii, nihil operæ prætermiſſum detergendis maximorum Regum odiis, ſtabiliendæque inter ipſos concordiæ: conſcriptas Armatorum copias tutandis finibus: firmiore magiſtratu ſublevatam ingraveſcentem annonam: expiandis animorum noxis publicè præbitas in Templis aures: in Xenodochiis demiſſam Majeſtatem ferculis miniſtrandis: In Valetudinariis ſuprema pietatis officia è Catholico ritu à vitâ decedentibus perſoluta. Cujus quidem demiſſionis exemplo è veſtro numero

Fidei deſertor, ejuratis Calvini Caſtris, ad noſtra ſigna revolabit. Quò magis vos etiam æquum eſt Sanctiſſimos illos pedes amplexu & lacrimis occupare: ad avitam Religionem reſpicere, & ex errorum vepretis ac ſaltibus ad amantiſſimi Paſtoris paſcua caulaſque concedere. Ite autem, & talibus acceptis documentis, veſtro in patriam reditu, aut os occludite Pontificii nominis hoſtibus, aut lucem in vos ex hoc Vaticani culmine derivatam, latè illis, quod bene vertat, affundite. Tu verò, Sanctiſſime Pontifex CLEMENS XI. ſalve multùm optatiſſime. Quamquam verò nihil magis invitus, quàm veriſſimas tuas laudes audias, licet immortalium decorum tuorum prædicatione non movearis, tam ſingulari tamen exultantis Urbis gaudio, tam inuſitata exterarum gentium gratulatione, tam conſtanti bonorum omnium de tua cæleſti virtute judicio non potes non magnoperè delectari. Utinam autem feciſſet Deus, ut mitiora tempora nactus eſſes. Sed paulum illa turbari divini facilè conſilii fuerit, ut tu eadem ſummâ cum gloriâ mitiſſima faceres. Verùm à Te ipſo optatiſsimæ ſerenitatis auſpicium capias. Collige ab intempeſtivo mœrore animum tuum; quem omnem planè deter-

ſeris,

ſeris, ſi de te minùs demiſsè, ideſt, magis verè ſenſeris; ſi in tua incolumitate ſalutem publicam, Orbis felicitatem contineri judicaveris. Quod autem ſolùm in te conferre noſtrum hoc, imò verò tuum ingenuarum artium Domicilium poteſt, ex animo Deum precamur, ut conſilia tua omnia, cœpta, cogitata, bene feliciterque proveniant: ut divinæ Virtutes tuæ amorem ſubditorum obtineant; amor ſecuritatem pariat; ſecuritas afferat, quod eſt nobis unicè in votis, Imperii diuturnitatem.

ORA-

ORATIO II.

Habita in Aula Maxima Collegii Romani in Studiorum Inſtauratione.

Expenditur & illuſtratur Epigraphe, Tabulæ marmoreæ inciſa, & Fronti Collegii Romani præfixa,

RELIGIONI AC BONIS ARTIBUS;

Et oſtenditur, nullas eſſe ſine Religione artes bonas.

CUM multa à Veterum ſapientiſsimis prudenter inſtituta, tum illud præclaro conſilio uſurpatum fuiſse judicaverim, ut quam quiſque Sapientiæ partem præcipuo ſtudio indagandam ſibi atque excolendam ſtatuiſset, ejuſdem ſpe-

ſpecimen aliquod prægustandum palam pro-poneret breviſſimis quibuſdam monitis, quæ aut pro foribus Gymnaſiorum marmoribus impreſſa legerentur, aut per ora manuſque hominum tradita, vulgò innoteſcerent. Hinc in Delphico Apollinis tẽplo, edito in loco pręfixæ conſpiciebantur breves illæ præceptiunculæ, *Ne quid nimis: Noſce te ipſum*. Hinc Pythagoræ Symbola, Zenonis Corollaria, Gnomæ Epicteti, Scita Platonis, ex quibus de illis doctrinarum luminibus, univerſaque quam profiterentur arte docendi, cuivis erat integrum ferre judicium; ad eum ferme modum, quo Cęli Menſores ex leviſſima nictantium ſiderum ſcintillatione de eorum magnitudine atque præſtantia certiſſimam capiunt conjecturam. Ego verò etſi nihil habeo perſuaſius, quàm hujus florentiſſimi Athenæi ter maximo ſanctiſſimoque Conditori multis juſtiſſimiſque de cauſis magnopere nos eſſe devinctos, tamen haud ſatis ſcio, an quidquam munificentiſſimus Pontifex ad gloriæ diuturnitatem perennius, ex uſu verò Reipublicæ commodius ſaniuſque providerit, quàm ut inſcriptione illa, *Religioni ac bonis Artibus*, in ipſa Academiæ fronte extantibus elementis ſublata, conſecuturis ætatibus ſui rationem

conſi-

conſilii, noſtri præſcriptionem officii, veſtrorum, ornatiſſimi Juvenes, ſignum quoddam ac teſſeram ſtudiorum, marmoreis Tabulis conſignatam, expromeret. Urbem ſiquidem, quæ ſedes eſt & Magiſtra Religionis, exteroſque omnes ad eam aſſiduè confluentes, hunc maximè florem ſtudioſæ Juventutis ex Italia Europàque collectum, in ipſo hujus Palęſtræ literariæ limine perlegere ſtatim ac penitus animo imbibere oportuit, Religionem arteſque homine libero ingenuoque dignas ita hìc nexas atque jugatas eſſe, ut, incolumi ſecuritate bonoque ſtatu Reipublicæ, non modò diſtrahi invicem atque divelli, ſed ne latum quidem unguem diſiungi poſſint à mutua cognatione atque complexu. Ut quemadmodum ignaros rudeſque Geometriæ nefas erat Platonis diſciplinam attingere, ita ad Gregorianum hoc honeſtarum Artium Domicilium aditum ſibi omnem interclufum eſſe ſentirent, qui inter Religionem & artes bonas neſcio quas diviſuras comminiſcuntur: tanquam animus liberalibus ornamentis excultus, è formula Divortii, jubere poſſit Religionem valere, ſibique habere res ſuas. A noſtris literis ſtudiiſque longè potiorem Cæli rerumque cæleſtium rationem ducendam eſſe, quàm

Geo-

Geometrę Platonici terræ ejuſque dimenſionum habuerint, diſertiſſimè præmonet è muto pariete Epigraphe, altiùs quàm eſt inciſa marmori, huc ventitantium cordibus defigenga, *Religioni ac bonis Artibus*. Quocirca rem facturum me credidi ſolenni huic literarum repetitioni opportunam, hac verò frequentia & celebritate digniſſimam, ſi ad inſcriptionis palam expoſitæ vulgatiſſimæque commentationem aliquam orationem meam accommodaverim, qua mihi demonſtrandum propoſui, Religionem bonarum Artium parentem fuiſſe, moderatricem eſſe debere, firmiſſimam illis felicitatem haud dubiè parituram.

Neque verò mihi ſolicita oratione apud vos opus eſſe video, ut oſtendam, vetuſtiſſimos illos diſciplinarum inſtitutores, quos primos bonæ mentis fabros Tertullianus appoſitè nuncupavit, nullam duxiſſe ſatis præclaram firmamque laudem in humana ſtudia à ſuis laboribus derivatum iri, niſi illis in altiſſimo dignitatis gradu collocatis ſpeciem Religionis magnificè obtenderent. Conatus quippe omnes fruſtra fore apud ſe ſtatuebant, niſi in intimos hominum ſenſus ea opinio pervaderet à Deo profecta & propagata, ex Religionis modulo dimenſa eſſe atque deſcripta, quæ

ſibi

ſibi humano magiſterio traderentur. Ut enim parietum tectoria, auro imbuenda, certis priùs medicamentis inficiuntur; ita humanæ artes, cum ex Religione quaſi ſuccum & colorem ducunt, alliciunt mirificè animos, iiſque penitus inoleſcunt. Huc ſpectavit antiquitas, tunc minimè ab albo veritatis abludens, cum ſuis fabularum involucris maximè luderet. Quorſum etenim Minervam è divina mente procreatam, Mercurium verò talaribus ſubvolantem ſuper humana omnia eminere confinxerit, niſi ut cæleſtis origo humanis inventis nomen atque authoritatem commodâret ſuam? Ut autem Philoſophorum vetera illa & externa in tranſcurſu prætervolem, quorſum Pythagoras diſciplinam ſuam, ſive illam Muſicæ concentu finiret, ad cæleſtium orbium modulationes exegit, ſive Arithmeticæ legibus concluderet, cæleſti illam præconio, numeros verò ipſos ſingulatim divinis appellationibus, ut apud Plutarchum legitur, inſignivit? Quorſum humanæ Sapientiæ columen Plato, ut μεμνησιν ſuam adſtrueret, abjudicatâ à Mortalibus omni Scientiâ veritatis, earum modò rerum, magno ſtudio adhibito, reminiſci illos tradidit, quas priùs in Cęlo expertes corporum didiciſſent. Nulla

alia

alia profectò causâ perſuaſit Ægyptiis,ut pollinario cribro adumbrarent ſtudia literarum, Athenienſibus, ut dextero pede ſublato ſimulacrum Palladis dedicarent, Scythis, ut divinos honores haberent Prometheo, qui primus humano generi abſtractũ è Cęlo ignem, lucem nempe Sapientiæ commonſtravit. Jam verò non Augures pecudum extis fidem ullam, non Sacerdotes Oraculorum ſortibus ullam authoritatem, non legum Conditores præſcriptis ſuis reverentiam ullam conciliare ſe poſſe arbitrati ſunt, niſi divinationes, præſagia, legum ſanctiones ad Dei alicujus imperium nutumque referrent. Nam Poetæ, quos ſatis conſtat primos omnium θεολογούμενα ſcripſiſſe, Deo agitante incaleſcere ſemper eſt creditum; ut cum primùm Poetæ eſſe inciperent, homines eſſe deſinerent.

Sed nihil neceſſe eſt, externis fulcire adminiculis rem Oraculis veri Numinis teſtatiſſimam. Fugite quippe credere, aut Platonis diſertiſſimam platanum,aut Jovis quercus vocales, aut Apollinis fatidicas lauros, aut demum neſcio quam inauratis ramis Proſerpinæ ſacram arborem à Sapientia in ſedem, ubi nidificaret, fuiſſe delectam; ſed arborem illam alteram, quam ſcientiæ boni malique gi-

gnen-

gnendis eductam fructibus, non Athenis Plato, non Dodonæ Juppiter, non Delphis Apollo, non Cumis Proſerpina, ſed rerum omnium ſapientiſſimus opifex ac moderator Deus ſua, ut ſic dixerim, manu conſitam in illa primævis Parentibus poſita voluptatis Regia conſecravit. Atque utinam primi Mortales bonorum ac malorum ſcientiam, rem unam omnium maximè ſacram, reformidaſſent attingere: næ illi ſubduxiſſent ſapienter ſecuritatis ſuæ calculos, nec amœniſſimæ ſedis amiſſione mulctati calamitatibus ęrumnoſæ poſteritatis immanem feneſtram patefeciſſent. Sed enimvero adeſte animis, quod humaniſſimè facitis, illaſque expendite admirabiles ſcalas Jacobo Patriarchæ per ſomnum oblatas. Deum ſumma oris Majeſtate graduum faſtigio innixum aſpicite; ex quo cęleſtes Aulici, bonarum, ut interpetrari licet, artium Genii, unicè digreſſi, rectà ad Authorem ſuum ſubinde remigrant, ut eundem & ſui originem motus, & requietis eſſe centrum, poſt quantamlibet per aliena ſpatia excurſionem, inſinuent. Ad hæc revocate in memoriam Uxorem alienigenam, humanam ſcilicet eruditionem, ad Moyſen, Mulierem Moabiten ad Dei Populum adductam, & illas libera-

lium

lium Artium lacinias fimbriatas, à deaurato profluentes veſtitu Reginæ (Religionis nî fallor) amictæ varietate. Poſtremò rem ipſam non mutuatitiis coloribus ruditer informatam, ſed ſuis expreſſam lineamentis conſpicite in antro Bethlemico, ubi ad cunas pedeſque Infantis Dei, veræ Religionis Antiſtitis, Regum in Oriente doctiſſimorum effictam animis, diſtinctam muneribus, ipſam contueri licet humanam ſapientiam, ſplendido demiſſionis, luculentiſſimo originis ſuæ teſtimonio, procumbentem.

Cum igitur bonas artes, incredibili hominum beneficio, ad nos divinitus delatas fateamur neceſſe ſit, ut in illis colendis & exornandis tantum noſtri laboris exiſtat, quantum in eo, qui illas nobis impertiit, beneficentiæ & amoris enituit: cum unanimis gentium omnium conſenſus tantùm Religioni tributum eſſe voluerit, ut ea ſolùm Auſpice & Præſtite ad hunc ipſum ſapientię cultum mortalium animi accenderentur, quàm perversè atque præpoſterè, imò verò quàm temerè & injuriosè cum illa egerint, qui pulcherrimum partum, tanquam ſubditium atque furtivum à gremio contenderint honeſtiſſimæ Parentis abducere, curiſque literariis adjungere ani-

mum, fide veteri & clientela moderatricis optimæ ſtudiorum penitus abrogata, ſine qua nec commodam illa tractationem, nec perfectam laudem conſequi poſſunt? Neque enim nulla ratione & conſilio Religionem dictam putaverim, quòd humanas alliget mentes. Nam quemadmodum Iſthmus prohibet, ne maria confundantur, ita Religio interventu objectuque obtinet ſuo, ne liberales diſciplinæ lineam ſuam tranſiliant, ac deviis errorum itineribus, ſuopte, nullo nimirum ductu aut certè inconſulto, exſpatientur.

Protheum accepimus, rerum futurarum conſultiſſimum Augurem, citatiſſima ſui corporis in omnia rerum prodigia converſione, accedentium ad ſe vota preceſque miris modis eludere atq;ludificari conſueviſſe. Quòd ſi injectis manicis pediciſque arctiſſimè conſtringeretur, tunc facetiſſimi ingenii divinator, ex leone, ex igne, ex dracone, in priſtinos vultus reſtitutus, certiſſima oracula, & nullis ambagibus involuta, pronunciabat. Nihil opus erat officiis Vatem delinire; cogere oportebat: adſtricto vinculis corpore vocis libertas redimenda erat. Supplices populi, inuſitato obſequii genere, Deum violare debebant, ut colerent; non niſi tanquam à

loris

loris ſubacto mancipio expreſſuri rem maximè omnium liberam, veritatem. Ad hanc ferme imaginem Religio vitæ cuſtos atque Magiſtra ſi minùs humanis diſciplinis manum injiciat, eaſque dictatorio quodam imperio adductis frenis contineat, ut non in alio, quàm honeſti circo ſe exerceant, tacitos animorum veſtrorum ſenſus, & intimas appello cogitationes veſtras, bonaſne in poſterum artes atque laudabiles nos eſſe habituros exiſtimetis, an peſtes & oſtenta triſtiſſima Civitatum, quæ nos reſque noſtras funeſtiſſima contagione polluant, curſuque incitatiſſimo rapiant ad interitum? Continuò interpres illa atque internuncia Divinitatis Theologia, errorum colluvie deformata, draconem induet, & ſibilis nocentiſſimis nullum ſibi modum ſtatuet afflandi teterrimum virus, intentandi certiſſimam perniciem, ac paſſim intrudendi nefariam opinionum, libertatis nomine, ſervitutem. Ethice, optima cultrix ingeniorum, non humanis vitiis medicinam facere inſtituet; ſed excuſſis honeſtarum præceptionum repagulis, leonis in morem graſſabitur, & de præda ſolicita curam abjiciet æquitatis. Illa verò gubernatrix urbium Politia, immaniſſimæ tigridis rabiem & ingluviem referens,

non exaggeratos virtutibus Cyros, non humani generis delicias Titos, ſed ſupremi Numinis contemptores Mezentios, ſed divini humanique Juris immemores Dionyſios & Phalarides, ſed Cajos, Nerones, Vitellios, imponet cervicibus civitatum. Noſtra hæc demum amęniora ſtudia, nec illotis manibus pertractanda Muſarum ſacra, quæ, velut auxiliares copiæ & adminiſtræ à gravioribus evocatæ diſciplinis, ſymbolam illis ſuam ad felicitatem publicam & ornatum conferre deberent, ad haſtam præconiumque voluptatis expoſita, & fabularum inquinamentis deturpata, non in ignem, ut Protheus, ſed in fumum evanidum, ne quid dicam acerbius, immigrabunt. Neque enim à Religione diſtracta flores ſuos herbaſque ad ſalutem ut Medici, ſed, ut Coronarii, ad aſpectum pompamque referent: nec in ſympoſiis ſuis, gravioribus ſententiis, quaſi Homerico Nepente, explere animos permagni fecerint, ſed cælaturas oſtendere, & inania ſuorum emblemata poculorum. Quamobrem non abnuerim humanam ſapientiam deſignatam fuiſſe in captiva illa externaque Muliere, quam ea cautione ab Hæbreis Uxorem duci Deus indulſit, ut abraſo capillamento, abſciſsis unguibus, immuta-

mutata veſte, cultu nimirum omni ad Religionis unguem caſtigato, ad ſanctiores thalamos, ad frugi ſobolem procreandam accederet.

Hæc autem non propterea diſputaverim, quaſi parvi ducerem hæc artium adjumenta, ſed ut earum quantovis demum niſu adremigantium vim omnem mancam debilemque eſse conficiam; niſi optima gubernatrix Religio clavum obtineat, & curſum altiori conſilio moderetur. An verò exiſtimatis, Athenienſium Civitate quidquam aut legum excellentiâ firmius, aut conſiliorum prudentiâ maturius, aut judiciorum gravitate præſtantius uſquam fuiſse? Non eſt mihi à rebus, quæ ſe offerunt, gravioribus otium, ut Judices in Prytaneo, in Porticibus, in Lyceis, in Academiis docentes Philoſophos, Juventutem ſolidos dies deſidentem, prolixè commemorem. Quid autem Athenienſi populo in tanta legum ſeveritate licentius, in tanta judiciorum maturitate corruptius, in tanta contaminatius copia atque præſtantia Philoſophorum? Ut optimo illum jure Anacharſis Scytha arguta acerbaque cavillatione perſtrinxerit, cum ſciſcitantibus, ecquid de Athenienſi Republica judicaret? reſpondit, nuſquam ſe vidiſse, qui

virtutem deſpicatiùs domi haberent, honeſtiùs de illa ſentirent in ſcholis. Hanc verò Principem gentium Urbem, cum olim Augurum, Sacerdotum, Cenſorum, hominumque ab omnibus literarum præſidiis munitiſsimorum affluentiâ floreſceret, an quemquam ita ſtupor præpediat,ut non cenſeat reliquis proculdubio anteferendam? Sed eadem illa temporaMarianis cladibus,Syllanis proſcriptionibus, factioſorum civium odio, licentia, crudelitate fœdiſsimè inhorreſcunt. Nimirum longè majori luce opus erat ad caliginem illam, Græcorum Romanorumque animis obductam atque circumfuſam, diſcutiendam, quam quæ à Socrate aliquo vel Catone, tanquam à nocturnis facibus languidiſque, expeti impertirique poſsit.

Atque huic quidem Civitati, à divinæ Fidei ſole ſingulari lucis opulentiâ irradiatæ, quamdiu quantumque laborandum fuit adversùs perditiſsimos homines, quos deſertores tot ſæculorum ſpatio corroboratæ Religionis, ad hanc labefactandam & evertendam aut vehemens ambitio pellexit, aut pervicax amentia faſcinavit. Videtis, Auditores, eò me adductum, ubi non tam mihi laborandum ſit, ut habeam paratum quod dicam, quàm per-

pertimeſcendum, ne ſi omnia, quæ dici poſſunt, perſequi voluero, nunquam finem inveniam modumque dicendi. Siquidem impudentiſſimi illi Alaſtores & Aloidæ, ubi ſemel avitæ patritæque Religionis imperium ductumque, fronte omni pudore diruta, repudiarunt, quibus flagitiis non alligarunt ſacerrima capita, quas Erebi vires ſubſidiarias non exeruerunt, ut Eccleſiæ Orthodoxæ jura violarent atque convellerent, ut novitiis inventis, quibus fucum labemque facerent veritati, ſi minùs fidem authoritate, certè terroris famam immaniſſimis cladibus, & Regnorum perturbatione, colligerent? Quid illi, Deus immortalis!, non rapinis exhauſtum, non ferro flammiſque vaſtatum, non populorum lacrimis & ſanguine commaculatum & ſordidum reliquerunt, ut opinioſiſſimis errorum portentis incautos animos implicarent, ut inteſtabilem propagarent luem, ut inſaniſſima deliramenta ubique tanquam virus evomerent atque diffunderent? Quemadmodum etenim eadem purpura, incenſi vividique coloris illecebrâ, homines magnopere allicit recreatque, tauros offendit & irritat ad pugnam; ad eum ferme modum hæc, divinę Fidei propugnaculum & Magiſtra, Civitas ita per omne

tempus obſequentium populorum ſtudia excitavit, ſibique arctiſſimè obſtrinxit, ut hominum, abdicato Religionis magiſterio, furioſorum ingenia vehementer in ſe, tanquam vecordes belluas, concitaret. Piget me tædetque, tot novæ, ut ipſi vocant, Religionis, ut optimus quiſque ſentit, abſurdiſſimæ impietatis duces & primipilos in medium proferre, tot verò ſectarum multò inter ſe magis, quàm nobis adverſantium, inire cenſum, nequiſſimas artes producere, ſtultiſſima commenta ab exordio pertexere. Immenſum quidpiam infinitumque fuerit, ſub aſpectum ponere florentiſſimis Regnis inuſtas labes, inflicta vulnera, illatas clades, quæ non modò fidem omnem Hiſtoricorum, ſed omnia ſuperant figmenta & audaciam cothurnorum. Ut enim prætercam ad nobiliſſimarum nationum exitium deblaterata ſtultiſſima dogmata; ut abrogatam Numinis reverentiam, ritus Eccleſiæ vetuſtiſſimos ejuratos reticeam; ut intermittam tot celeberrima ac religioſiſſima ſacraria, tot cæleſtium civium vetuſtiſſima ſimulacra & imagines dirutas & incenſas, tot integerrimos Cœnobitas, tot ſanctiſſimos Præſules, exiliis, carceribus, extremis cruciatibus ad miſerandam vitæ, omni mortis ge-

nere

nere gravioris, conditionem adductos; illã teſtor atrociſſima bella, illas appello è Septentrione, tanquam è pharetra atque ſentina, effuſa jacula & colluvies Barbarorum, quorum ſævitia & feritas annales ſuperiorum temporum cruentavit; ut planè conſtet detorta à Religionis diſciplina paucorum ingenia, eò res humani generis adduxiſſe, ut opulentiſſima regna in acerbiſſimarum cladium theatrum abierint, Europa in orcheſtram tralatitiæ dominationis. Nam quòd eorum non ita ſanè pauci ab ingenii laude ſpectabiles, doctrinæ porrò ſtudiis apprimè eſſent exculti, quò demum pertinuit, niſi ut impendiò magis nocerent, gravioribus infligendis damnis paratiores eſſent, atque, ut venena vino diluta, deteriori pernicie atque adeo pernicitate, graſſarentur?

Sed non diutius evagabor per impeditiſſima illa tempora, ad quorum recordationem ipſam, quaſi à vulnerum retractatione, vehementer animus abhorret ac reſilit. Quin potiùs quemadmodum Pictores oculorum aciẽ nimia intentione hebetatam & vacillantem in virides colores transferunt, ita ab ea monſtrorum diritate animos veſtros cogitationeſque convertam ad illorum præſtantiam ingeniorum,

rum, quorum doctrina, imperio arbitratuque Religionis temperata, conjuratos in Cælum Titanes illos, veluti piaculares victimas, odio publico immolavit. Quos enim hoſtium aſſultus, quas proditorum inſidias humana ſapientia perhorreſcat, cui Religio officinam ſuam, Vulcaniâ illâ longe inſtructiorem, aperuit; ut ſe non in Perſei clypeo, non in Achillis lorica haſtaque traducat, ſed in armatura Juſtitiæ, in munimento auguſtiſſimæ Crucis, & ſcuto inexpugnabili æquitatis? His armis communiti integerrimi ſacrorum Procuratores, omni fortunæ comitatu, omnibus potentiæ præſidiis orbati, non, ingraveſcente ætate morbiſque confecti validiſſimorum hoſtium impetus, non genere obſcuri Principum clariſſimorum nequitiam, non imbelles injuriæque opportuni ſtipatam exercitibus, reformidandam ſuppliciis proterviam Cæſarum, verè, quod dicitur, Aquilæ in nubibus, pertimuerunt. Hinc Juliani perfidiam Nazianzenus Gregorius perfregit; Valentis improbitatem coercuit Baſilius; Ambroſius Juſtinæ vecordiam, Eudoxię licentiam Chryſoſtomus exarmavit. Ægyptius verò Hercules ille Athanaſius Arianæ labem conſpirationis, multis maximiſq; clientelis validam ac pertinacem,

per-

pervagantem quotidie latiùs, & luctuoſa regnorum vaſtatione humana ác divina promiſcuè involventem, ita ſuſtinuit atque compeſcuit, ut ad Antiſtitem adversùs orbem terrarum, fatali illo æſtu correptum, dimicantem expreſsiùs quàm ad Cæſarianum Militem referri poſſit Hiſtorici Vatis elogium,

Parq; novũ fortuna videt concurrere, Bellũ,
Atque virum.

Non ille laboribus, non ærumnis, non ſenio parcere, quò minùs nulla declinatione periculorum, in Templorum congreſſibus, in Principum aulis, voce, calamo, omni exerta virium contentione, non itineribus domitus, non exiliis fatigatus, non criminationum telis, quæ gladiatorio animo intendebantur, perterrefactus, ſalutis publicæ cauſam pugnaciſſimè peroraret.

Et quoniam Religio communem cauſam permiſtaſque rationes ſuas habet cum optimo ſtatu beatiſſimoque Civitatum, quicumque eò curas intendunt, ut ſacris Majorum inſtitutis ſua conſtet authoritas, eodem diligentiæ ſtudio Urbium ſecuritatem tuentur atque confirmant. Ut Religionis pro viribus vindicatæ ampliſſimos fructus uberrimaque per omnes ætates in publicos uſus commoda redundare

dare neceſſe ſit. Ac veluti Hieroſolymorum muros cum æternitate certantes iiſdem manibus exædificatos accepimus, quibus ferro armatis ſceleſtiſſimi hoſtes ab eorum aditu prohibebantur; ita præſtantium hominum curæ; proferendæ Religioni deſponſæ, eâdem operâ Reipublicæ ſtatum ordinant, ordinatum conſervant, conſervatum exornant. Quapropter ſatis demirari non poſſum, temeritatemne dicam, an oſcitantiam dilutæ authoritatis Hiſtorici, quo nemo licentiùs ingenio otioque ſuo abuſus eſt. Qui civilis Doctrinæ monita & animadverſiones Principibus exhibiturus, magnâ artis, quam profitebatur, injuriâ, hoc omni conatu egit atque contendit, ut non incorruptæ ſtudiis honeſtatis, ſed nequiſſimis machinationum verſutiis, propugnacula Regnis atque præſidia circumdaret; cum regnandi nobiliſſimam artem atque divinam neſcio qua proferendæ potentiæ, ſtabiliendæque quovis modo ſecuritatis, quaſi Lesbiâ normâ, metiretur atque finiret: Religionem verò, aut tanquam venale mercimonium oſtentui habendam, aut veluti perſonam adventitiam ſumendam ad tempus, aut demum, ſi res poſtulet, ut inutile patrimonium, ſtrenuè

deco-

decoquendam non tam liberè, quàm illiberaliter impièque præciperet. Quibus ego ingenuo viro indigniſſimis technis, chartiſque Genio malo natis, quas non modo ad piè ſanctèque vivendum non attigiſſe interſit perſanè plurimùm, verùm etiam ignoraſſe nihil referat ad diſcendum; iis, inquam, doctrinę conſceleratæ & abſonæ monumentis non ſanctiſſimum Regem Pſalmographum, non ſapientiſſimum Salomonem, imò verò nec Xenophontem, Platonem, Ariſtotelem, præclaros Principum inſtitutores, ſed Gothicum Regem opponam, cujus apud Caſſiodorum illud extat in primis luculentum effatum; Principem tantò ſanctiorem eſſe oportere, quantò graviùs nocere poteſt, qui plurimùm poteſt. Qua ego barbari Principis voce nego quidquam ex adytis veterum Philoſophorum illuſtrius fuiſſe profectum. Quod enim ſibi ille operæ tam projectæ pretium ab ullo ſanæ mentis, nec omnino profligatæ frontis lectore contingere poſſe credidit? Aut quænam iſthæc eſt, ut cum Tullio loquar, ſtulta calliditas, perversè imitata prudentiam, quæ res ſpeſque noſtras ita in arctum cogit atque compellit, ut per aſperſas Religioni maculas ſplendeſcere poſſe reputet publicum regimen,

men, ad cujus non modò certiſſimam laudem, ſed abſolutiſſimam felicitatem nihil æquè conducit, quàm ab illa ne Attalicis quidem conditionibus, univerſaque felicis Amaltheæ propoſita mercede deflectere?

Hanc verò cauſam omnem, quàm latiſſimè patet, in hac ſolùm Civitate, Religionis & bonarum Artium ſede ſimul & præceptrice, libet excutere. In hac, inquam, Civitate, quam non Apollo aliquis aut Neptunus opere cementitio, ut Phrygiæ decantatam. Urbem, ſed rerum omnium effector Deus ſuper ſolidiſſimam Petram ſtabilivit atque firmavit: cujus imperium ita molitus eſt, ut reliqui Principatus, ſi hujus magnitudini officerent, funditus excinderentur, aut inglorii conſeneſcerent; ſi ejuſdem dignitati adſtipularentur, ſummam exiſtimationem, æternam laudem, & celebritatem nominis obtinerent: cujus doctrinam ita corroboravit, ut ad hanc lucem collata veterum Oracula ineptiant, Ethnicorum ſapientia deſipiat, ſectariorum exitioſa guttura obmuteſcant: cujus leges divino conſilio temperatę juſſas olim lataſque plurimas ab hominum ſapientiſſimis facilè antiquarunt. Neque enim hìc moror importunum illud ex Arabia & funeſtiſſimum Animal,

mal, Mahometem, quem ego non Legiſlatorem, ſed legum omnium buſtum, & everſorem impuriſſimum nominaverim. Hujus porrò Urbis quis imminuere dignitatem aggreſſus eſt, qui non eidem robur adjunxerit? quis authoritatem infringere, qui non illam tutiùs communiverit? quis ſanctiſſima jura reſcindere, quæ non indidem firmiora præſtiterit? Sæviſſimis ſeditioſorum hominum turbinibus afflata non elanguit; maximorum Principum conſpiratione concuſſa non ſuccubuit; tranſfugarum odio, furore Barbarorum, tanquam decumanis fluctibus agitata, mole, ideſt, Petrâ ſuâ tutiſſima, de ſtatu dignitatis indejecta, non fluctuavit: ejus demum leges qui ſanctiſſimè coluerunt, in Cęlitum collegium cooptati divinos honores ſunt aſſequuti; qui eaſdem calamo propugnarunt, inter Chriſtianæ Sapientiæ Magiſtros aſcripti, in luce gentium, in omnium ore, in ætatum omnium laude & admiratione verſantur. Neminem fugit, ad ſubruendam hanc Regiam veritatis non decennali, quod eſt de Ilio à Fabulatoribus ſcriptum, ſed continentium ſæculorum obſidione, impiorum dogmatum Architectos conſilia ſua nefaria contuliſſe. Exactæ vigiliis noctes, volumina librorum praviſſimis opinio-

nibus

nibus ſaturata atque referta, laboris nihil induſtriæque præteritum, ut ingenio, moribus, ſtellarum poſiturâ longè diſſitæ gentes eodem cœni volutabro contaminarentur; additâ poſtremò, quo irretiendis populis nullum validius invitamentum, ſpe fiduciaque licentiæ, vitæque laxioris impunè in poſterum tranſigendæ. Oſtendant verò illi, quem laborioſi conatus abunde magnum pretium fructumque retulerint; manipulos aliquot ex tam pingui ſibi pollicita meſſe, ex tanta Regnorum direptione prædam aliquam ſatis diuturnam proferant explicentque. Quamvis quas ego prædas, quæ ſpolia obſcuriſsimorum hominum narro? Non procacium ingeniorum errores ipſi, ut diſertè dicam quod res eſt, lapſuſque enormiſsimi in memoria poſterorum aliqua ſupereſsent, niſi illos, æternis impreſſa monumentis, regioque Religionis annulo ſignata ſanctiſsimorum Eccleſię Patrum ſcripta redarguerent atque refellerent. Ipſa eorum nomina ſitu & illuvie obſita, ab omni vileſcerent recordatione deterſa, niſi à ſublimium Scriptorum calamis confoſſa turpiſsimas notas ſempiterni dedecoris circumferrent. Marciones, Arii, Sabellii, Neſtorii, totque depravatæ Religionis veteres Anteſignani,

gnani,

ſignani aut computreſcunt penitus in altiſsimo pulvere victoriarum, aut in tenuiſsimi ingloriè ſuperſtites reliquiis Sodalitii, in angulos neſcio quos abditi atque retruſi, nec ſatis digni anxiè requiri ut vincantur, lucem hominum pertimeſcunt.

Quod ſi ſuperiori ſæculo exortæ à divinis inſtitutionibus alienæ opiniones adhuc non obſcuras Europæ Provincias infelicisſima caligine involvunt, immortali prolixaque cum gratiarum actione excipere nos decet atque deoſculari ſupremi Numinis beneficentiam, cujus optatiſsimo munere, in extremo hoc flexu ſæculi, ſummi maximique Principes ſalutari ac ſuaviſsimo Eccleſiæ jugo cervices regias ſubdidere, utque præſtantiſsimæ Nationes, quarum in Europa Aſiaque eſt latè pollens imperium, ad hanc lucem ab infamibus illis ſcopulis ſyrtibuſque curſum auſpicato ſidere inclinarent, vexillum quoddam altiſſimè ſuſtulerunt. *

Quò magis ornatiſſimi Juvenes, per ego

E vos

* *Inſinuat magnum Moſchoviæ Ducem, et Septemvirum Auguſtalem, Saxoniæ Ducem; quorum prior non levia palam dedit indicia propenſi in Romani Pontificis obedientiam animi; poſterior, Hæreſi ejurata, Poloniæ Rex eſt renuntiatus.*

vos veſtram indolem obteſtor, ut præclaram occaſionem ſtrenuè urgeatis, ut nullam partem refugientes literarii ſudoris, non deſeratis honorificam ſtationē promovendæ ſtudiis veſtris, omnique exerto virium niſu, propagandę quàm latiſſimè Religionis: ne, cum vobis tam larga, tam parata meſſis quaſi divinâ virgulâ præmonſtratur, tam beneficæ clementiſſimi Numinis indulgentiæ, tantæque præclariſſimarum rerum gerendarum opportunitati & incitamento defuiſſe arguamini. Ad has ſublimes ſpes ſumma contentione animorum aſſurgite; regiam hanc viam inſiſtite; ad hanc optabilem metam omni alacritate plenoque gradu contendite. Nihil magis è re veſtra, nihil magis è publica feceritis, quàm ſi ad hanc curam niſus omnes conatuſque veſtri appenſi ac numerati eſſe videantur. Tum præterea, ſi ad hunc propoſitum finem curas omnes exquiſitè & ſedulò conferetis, literariam omnem exercitationem laboreſque ſuſceptos vobis forę jucundiſſimos apud veſtros animos ſtatuatis; ſimiliter atque bellorum onera leviſſima Ducibus eſſe Cyrus apud Xenophontem affirmat, quòd laus & gloria mirificè leniant laborem imperatorium. Ut autem ad illam redeam marmoreis exaratam notis inſcri-

ſcriptionem, *Religioni ac bonis Artibus*, illud Gregorianæ Palladis Symbolum & Inſigne obſervate diligenter & colite: vos veſtraque ſtudia illi Termino conſecrate, certo auſpici perpetuitatis. Marmor illud, firmiſſimum cubum, ac plane τετράγωνον λίθον veræ ſolidæque virtutis eſſe ducite. Ancile tutiſſimum exiſtimetis è Cęlo demiſſum, cujus objectu ictus ſuos eludi, impetus retardari, Vaticani hoſtes ſeriò dolent & lamentantur. Quòd ſi Divus Paulus, datâ ad majores veſtros Epiſtolâ, egregios cæteroqui Philoſophos, à pertinaci errorum impietate infatuatos, per extrema miſeriarum vitam duxiſſe commemorat; vos conjunctam cum Religione humanam ſapientiam privatæ publicæque felicitatis idoneum ſponſorem, prædemque certiſſimum habeatis.

ORATIO III.

Sapientiam neque oſtentandam eſſe, neque occultandam.

Habita in Aula maxima Collegii Romani in ſolenni Studiorum Inſtauratione.

NIHIL æquè curandum ſibi, maturèque providendum exiſtimare meritò ſolent ii, qui per incertos undarum æſtus navigia regunt & moderantur, quàm ut ſtellarum Cælique ſciẽtiam, quantùm induſtriâ ingenioque præſtare poſſunt, expenſam habeant. Priuſquam naviculam infelicem mari committant, cæleſtes orbes ſedulo intentoque ſtudio pervadere neceſſe habent, ad eorum perveſtigationem conſilia animoſque referre, & ex remotiſsi-

tiſsma regione, maximamque partem in conjectura poſita ſolicitæ, quam profitentur, arti, ſemper anceps, plerumque fallax accerſere patrocinium. Tædarum firmitas, flexuræ velorum, clavi magiſterium, ſpeculatores, proretæ, remiges, anchorarii, fruſtra fuerint aſtrorum rudibus & ignaris. Poſtremò ad optatum terminum neutiquam rude dirigat navigiolum, qui Cęlum non calluerit ac prope rexerit priùs. Tanti eſt gubernare breve, & ligneum avaritiæ maria fatigantis hoſpitium, nullo plerumque ſatis digno periculis reſpondente pretio. Liceat hìc mihi uſurpare vulgi ſermone tritum illud & exculcatum, navigationi conſimilem eſſe, tot agitatam curis, tot obnoxiam caſibus hominum vitam. Ut enim apud naviculatores res eſt magni operis & negotii, probè ſcitèque Cęlo uti, quod oculis quidem claritudine ſua explicatum, mentibus verò noſtra hebetudine abditiſsimum eſſe natura voluit; ita profectò ii, qui Reipublicę commodis ſtudium omne collocant ſuum, rem longè operoſiſsimam explorando tractandoque cognoſcunt, rectam adminiſtrationem uſumque ſapientiæ, quam & mortalitatis ſolatium habemus, & præcipuum inſtrumentum parandæ retinendæque

felicitatis. At niſi bonorum omnium parens illa & procreatrix, certis finibus conſtitutis, verecundè caſtèque exerceatur, exoleſcat & corruat neceſſe eſt ratio omnis, ſocietas, & ordinatio publici ſtatus. Nihil autem minùs præſtantia patiuntur ingenia, quàm in doctrina modum; & multò difficilius eſt, ſapientiam temperare, quàm regnum. Ego verò ut argumenti uberrimam copiam, & infinitè fluentem, in pauca contraham, non aliud ſtatuerim ſapientiæ temperamentum, quàm quod Perſarum Reges prodiderunt eſſe Potentiæ. Solenne illis erat, cum in aciem progrediebantur, præ univerſis ordinibus effigiem Solis extollere, non qualem contentis oculis ſuſtinere non poſſumus, nec rurſus opacitate nubium coopertam, ſed orbe cryſtallino incluſam, opportuno nempe repagulo, quod moleſtam inhiberet lucis oſtentationem, nec detraheret dignitati. Potentiam ſapientiamque gemina eſſe novimus elementa diligenter compoſitæ Politiæ. Quam itaque Reges illi Potentiæ teſſeram præferebant, in alterius argumentum non incommodè mutuabor, in hac redeunte quotannis literarum celebritate demonſtraturus, diſciplinas non jactanter & diſſolutè, nec rurſus avarè & reſtri-

ſtrictè, ſed, media quadam tractatione ac veluti curſu, ſobriè accuratèque tradendas.

Quod ſi rem inſpiciamus ipſam, & vulgi exiſtimatio pauliſper faceſſat, non ita ſordidum deſpectumque ſapientiæ nomen eſt, non ita eadem, quemadmodum de viliſsimis Servitiis Tullius loquitur, empta de lapide, ut in ſolido illius ornatu veraque imagine ſe impunè traducant, quibus literulæ ad oſtentationem, civiles diſciplinæ in quæſtu ſunt. Neque verò effuſa inanique exultatione, aut ambitione joculari, fas eſt æſtimari res ſacras: divinumque animorum ornamentum, vera doctrina, non quantum perſtrepat atque laſciviat, ſed quantum emolumenti fructuſque in commune conferat, pervidendum. Eorum nomine, quibus bonæ literæ cordi ſunt, officii gratiam Platoni referimus, qui Sophiſtas atroci ſtylo ex albo eruditorum eraſit, eoſque verbis pluſquam Herculis, quia Socratis, aggreſſus, non uno in loco apertiſsimum fecit, quantùm à doctrinæ elegantia diſtaret ſcurrilis oſtentatio, technæque illæ verniles, quas Gellius fallacioſas ambages, Accius fallaciloquentias nominavit. Apageſis linguaciſsimos, ſuique immodicos logodædalos, fori cymbala, compitalitia crepitacula, locutulejos, &

præſtigiatores vocaliſsimos, qui mimica levitate, & inſanabili rabiene dicam, an ſcabie? ſua præter omnem modum ſupra omnem fidem jactandi, mendicabula plebemque infimam capiunt, & opinione auræ popularis inflati Minervę ſponſalia ſibi depoſcunt. Quid enim, obſecro vos, niſi ut bonæ menti litent, illis perſuadeam æruſcatoribus & paraſitis, qui è muſti vaporario fervidi, venditaria loquacitate, meras alogias funditant; qui lemniſcatis laureis, fuco & pigmentis, faciem ingenuam inficiunt veritatis, cujus nomen, dum mentiuntur magis, pugnaciùs mentiuntur. Piget me eorum artes meminiſſe, ludificationem, & fucum, quo unicè laborant circumfuſę multitudinis inire gratiam, ſtultoſque clamores è tota cavea colligere. Ament ſe ſuaque illi efflictim, ut faciunt, ſine rivali, longaſque laudum ſuarum tibias inflent: nunquam deſpicatiſsimas eorum nugas tanti fecerim, ut illas otioſè refellendas potiùs, quàm contemptim irridendas putem. Multò ſine ulla controverſia accuratiùs Homerus, omnis humani moris vitæque ſcientiſſimus, ita Ulyſſem & Neſtorem, ſapientiſſimos Duces, inſtituit, ut vocem non ex gutture ſummiſque labiis, quibus ſapiunt ſolùm vaniſſimi quique aretalogi, ſed è pe-

è pectore, tanquam è ſacrario, promerent. Ob eam cauſam illud etiam Græciæ lumen, rerumque ſolertiſſimus æſtimator & judex, Ariſtoteles, viros ingenio doctrinaque præſtabiles temperatione corporum timidos eſſe docuit; pulcherrimo naturæ documento, quæ minimum audaciæ poſuit, ubi voluit plurimum mentis excellere. Quam ob rem meritò ac jure ab aliis Græciæ populis ludibrio atque deſpectui habitos fuiſſe traditum eſt cives Bœoticos, qui, in aliorum oracula deſpuentes, Delphica ſua prę omni Lyceo, procaci ſtultaque ferocia venditabant.

An verò mitiſſimas literarum artes exultantes & minitabundas ferat, qui noverit, moderationem in bellicis etiam diſciplinis, ubi impetu & fragore res agitur, obnixè laudari? Peritiſſimi bellicorum caſuum proviſores, Martiſque inferendi artifices Spartiatæ ad tibiarum numeros dimicabant, ut militum animos furore vecordes & turbulentos modulatio æquaret; & ſuum haberet ira concentum. Nihil è diverſo inſtructis Perſarum ordinibus ad ornatum & ſpeciem ſplendidiùs; verùm, ſpectaculo aptiores quàm pugnæ, non ſuſtinebant directas acies Macedonum, qui callebant, infirmiſſimum eſſe teli genus, terrorem

anxiè

anxiè quæſitum, & argumentum non magnæ potentiæ, pompam nocendi.

Memoriæ proditum eſt, interioris Africæ populos, armorum, naturæ injuriane dicam an beneficio?, expertes, immaniorem quandam in ipſa corporum nuditate & colere & circumferre ſævitiam. Expreſſis herbarum graminumque ſuccis, tum ſandaracha, minio, & purpuriſſo, cæteriſque patrii ſoli medicamentis, glutinum quoddam efficiunt, cujus gummitione nudis imbutis corporibus tam graphicè & eleganter inducunt omnes ferarum imagines, ut leones, tigrides, elephantos, dracones, verè, quod dicitur, exprimant & imitentur ad vivum. Commenti ſunt Barbari rationem, quemadmodum periſtromata verè ſpirantia haberemus, tabulaſque, in quibus ad abſolutiſſimam picturæ laudem nec vitam deſideres. Tanquam monſtroſis partibus minùs largiter Africa ſoboleſceret, efferari & homines placuit. Non tamen illi ſaniùs reputantibus uſquequaque veniâ indigni, qui humanæ ſocietatis cultuſque politioris exortes, quibus naturâ, aſſuetudine, convictuque permiſti ſunt atque congeniti, eadem probant, eorumque imitamentis ſe imbuunt & exornant, non tam deteriorum electione, quàm

neceſ-

neceſſitate inopiâque degeneres. In extimos Africæ tractus exſcenſione facta, ad horum campeſtria tuguriola pervadere fiducia fuit Luſitanis militibus; qui, Alburquerquio Duce, Emanuelis Regis auſpiciis, ad Indiæ populos Romanæ Fidei adjungendos, laboris & periculorum magnitudine nihil permoti, ſeſe vaſto furentique Oceano commiſerunt. Dum, uti fit, locorum avia exquirunt, ut de agrorum gentiſque ingenio & conditione cognoſcerent, obvios habuere Barbaros, conglobatos in aciem, infectos coloratoſque ferarum emblematis illis, & Africâ ſuâ. Aſpectu ſubitæ inſolentiſque rei, circumſpicere ſe primùm adfremens turba; tum catervatim irruere, clamoribus perſtrepere, jactare picturata monſtris corpora, quatere haſtas, quas, ferri inopiâ, cooneratas belluarum oſſibus aſperabant. Demirari milites quònam illa hominum ſpectra atque terricula pertinerent. Ubi verò cominus eſt congreſſum, temereque irrumpētium oculos armorum fulgor perſtrinxit, tanquam revelatâ Perſei parmâ, omnes cerneres pluſquam lapideo frigore obrigeſcere. Itaque haud ſegniter circumventi, cum gladios in ſua pectora altè deſcendere animadverterent, tunc demum Europeos egre-

giè

giè armatos, ſe nudos eſſe, ſerò quidem ſed tamen ſeriò meminerunt. Quemadmodum verò earum gentium imbecillitatem ignorationemque rei militaris planam facit idem ille terror aſcitus; & omnis in cute ferocia, ita profectò quantævis comparatæ doctrinæ omnem abrogat fidem importunus quidam ac vehemens furor ſignificandæ prædicandæque ſapientiæ. Sed rudes armorum Populi, fucatis illis & adulterinis oſtentis, ſolari poterant & obtegere nuditatem ſuam. Quis ferat Menecratem, aliquo in deploratis morbis curandis ſucceſſu ſuperbiſſimum Medicum, dicere ſe ſoſpitalem Jovem, literiſque ad Ageſilaum Spartanorum Regem conſcriptis, de gloriæ magnitudine tumidè eundem præfractèque appellare? Quid enim? ipſum Laconiæ Civitatem potentiâ, ſe Græciam univerſam ſapientiâ occupaſſe: Ageſilaum hoſtium, Menecratem morborum acies fundere: illum in anguſtos Oebaliæ fines, ſe in univerſam naturam imperium obtinere. His alia id genus plurima attexuit tam confidenter, ut animoſiùs ſcribere non potuiſſet trecentis Lacedæmoniis Xerſes ipſe, cum bellico totius excitæ Perſidis apparatu maria terraſque compleret. Sed vecordiam hominis nimio opere impuden-

dentis & odioſi egregio alexipharmaco retudit Regum moderatiſſimus, redditis in hanc ſententiam, Spartano more, breviter literis: Ageſilaus Menecrati ſanitatem. O vocem ingenuam, qualem in Principe poſcebat Socrates, Xenophon expreſſam laudat in Cyro! O animadverſionem tanto Rege digniſſimam, qua è ſeptis choroque ſapientum exturbantur quotquot, ingenio ad omnem temeritatem projecto, uſque adeo doctrinæ opinione efferuntur & inſaniunt, ut veluti promercalium nugarum inſtitores, divulgent atque proſtituant ſtudia liberalia, quorum beneficio humanus animus ſenſum aliquem hauſit, & nonnullam indolem exſcripſit ex Deo.

Certè, cum ſapientiæ conatus omnes ad eam metam conſpirent, ut obliquis animorum motibus, ſubitiſque perturbationibus modum conſtituant, quò æſtuoſæ ancipitiſque vitæ ſuum quilibet, ut ita dixerim, fretum fortiter ineat, ſedatè permeet, tutò conficiat, quî demum, amabo vos, fieri poſſit, ut iter tam laborioſum, tam aſperum, tam aliis ex aliis difficultatum offendiculis conſitum & abruptum, ſatis commodè cuiquam innoxièque contingat, duce illa, & gubernatrice dubiæ navigationis Sapientiâ, actâ abreptâque in tranſ-

tranſverſum? An pravarum domeſticos Euripos affectionum, & inteſtinos humani pectoris vortices facilè eludat, cujus navis, ut apud Virgilium Chimæra Gyæ, deturbato in undas Monœte,

. . . . *cedit, quoniam ſpoliata Magiſtro eſt.*

An hiantia cordium vota, & immetatæ cupiditates officii meminerint, imperium audiant, æqualitatem tueantur, ubi norma anormis eſt, & lege indiget lex ipſa vivendi? Profectò vel nullam nos habere ſpem reliquam neceſſe eſt vitæ attemperatè & ordine tranſigendæ, vel à ſapientię compellatione honeſtiſſima longo intervallo ſegregandi ſunt, qui lautiſſimum ejuſdem patrimonium incõſultò temereque diſperdunt. Atqui nemo eſt à recta ratione tam alienus, quin intelligat, inflatam, Campanęque ſuperbię ſimilem, literarum jactationem à vera germanaque doctrina majorem in modum diſtare. Id ſcilicet ejuſmodi Mercuriales impoſtores agunt, quod alicubi per improbitatem & verſutiam cauponum vernulę ſolent: qui peregre accedentibus ultro obviam procurrunt; ſplendida omnia, lauta, affluentia, in ſuis Hoſpitiis pollicentur: ſed infortunatum limen ingreſſi ferias agunt eſuriales; ita nihil il-

lorum

lorum eſt culinis frigidius; nihil ſtabulo, corte, apotheca, androne, procœtio imparatum magis & vacuum. Pręclarè, ut cętera, Euripides, Paridem juvenem ornatulum, ſeſeque decora facie leviter efferentem, non ipſam Helenam, ſed Helenę ſimulacrum adeptum fuiſſe memorat. Umbratilem iſto perinde modo ſapientię ſpeciem conſequuntur, qui illam ambitiosè profitentur. Niſi fortè ipſam etiam ſapientię larvam ab eorum frontibus extorqueas, & ſimiles eos eſſe dixeris Ixioni, qui pro Junone, quam arroganter deperibat, neſcio quam craſſam impuratamque nubem fertur amplexus. Non facit ad imperitam multitudinem Sapientię congiarium. Gregatim convolet illa ad Circulatores concionales, erraticos & deſultorios, qui ſola laterum firmitate, vocis magnitudine, attritę frontis audacia, antidotis ſuis, amuletis, & myrotheciis pretium fidemque conciliant. Aucupentur illi plebeculę acclamationes & ſibilos, quos prudentiſſimus quiſque, ſi minus cum Zenone & Chryſippo aſpernabitur, certè magnopere non requiret.

Commodè hic venit in mentem coquinarii illius Magiſtri, quem à Lacedæmoniis exilio mulctatum Maximus Tyrius prodidit, cauſatis

ſatis

ſatis non facere ad mores ſobrię Civitatis, qui merces eſculentas tam doctè & naviter procuraret. Neque verò in literis minùs quàm in ærarii rationibus, & publicę diſpenſatione pecunię, locum habet, quod in Paradoxis queritur Tullius; non intelligere homines, quàm amplum ſit vectigal, parſimonia. Preſſiùs hanc cauſam multis naturę documentis confirmatam urgere poſſem. Nam & fulgetri lucem omnem nimia vibratione ſtatim extingui, & rivulos ſolùm ſalebris videmus obſtrepere, cum altiſſima quęque ſiderum, quadam lucis verecundia, regii verò amnes, & ingentium aquarum conſcii, nulla re magis, quàm taciturnitate noſcantur. Sed omittere libet hunc locum, qui ſatis longam habet diſputationem; nec committam, ut in ipſa literarum ambitione damnanda videar eſſe ambitioſus. Ita me video facili in cauſa explicataque verſari, ut remiſſiùs cum illis ac liberaliùs agendum putem.

Itaque in ſapientũ numero nomen illi profiteantur ſuum. Scio humanos animos, ut reliquarum rerum, ita quadam ſapientię exuperãtia lętari. Annuo reliqua vitia in omnes promiſcuè cadere, ſolas ambitioni litare pręclaras indoles. Nõ ſum neſcius, exaggeratam virtutem

tutem quandoque efflorefcere; nec niſi uberes fundos & ſaginatos odiſſe ceſſationem: ut laudem verſutiæ & calliditatis aliquam, nedum veniam obtinuerit Alexander, expetita divinitatis opinione, cujus ope maxima bella faciliùs fortaſſe, quàm virtute confecit. At videant, ne parum decorè honeſtèque proſpiciant tanti nominis dignitati; ne appellationem, quam tantopere affectant, inſolenti venditatione corrumpant atque pervertant; ne ſapientiæ, cui contemptum & invidiam conflare non deſinunt, nimis illiberales beneficii vices retuliſſe videantur. Repetite memoriam præteriti temporis: vetuſtiſſimos illos artium honeſtarum cultores mente recolite, Gymnoſophiſtas, Brachmanes, & Druydas; qui doctrinarum arcana non ſolùm incredibili moderatione attigerunt, ſed quodam perciti metu & quaſi afflatu Religionis. Ægyptii ſcientiam ſuam, ænigmatum involucris obſignatam, lapidibus, mutis cuſtodibus, commendabant. Athenienſes abditiſſima in arce, & ab omni aditu circumciſa atque dirempta, Minervæ ſimulacrum ſervabant; nec niſi ſolennibus Panathenaicis ſub aſpectum populi dabant, ſed talari peplo convelatam, eoque oris habitu, qui & deceret Virginem,

 & ſimul

& ſimul proderet bellatricem. Ejuſdem literarum Præſidis Deæ frontem author eſt Pauſanias galeâ fuiſſe tectam, cujus ſummum apicem Sphyngis effigies, extrema gemini inſculpti Gryphes,tanquam anſulæ, exornarent. Quid tantus ille veterum pudor, quid ingenuitas, quid frugalitas,ad eorum uſum & conſuetudinem, qui literarum omnium ſaturitatem præ ſe jactanter ferunt? qui Minervæ pudentiſſimam frontem, detracta caſſide, ceruſsâ onerant, ejuſdem verò puram ſimplicemque pallam ſegmentis, claviculis, & petagiis, ut ſcortorum amictoria, variatam atque diſtinctam inverecundo eventilant aſſiduoque jactatu?

Verùm ne res apertiſſima ex declamatoria potiùs aucta levitate, quàm ex vero prolata accipiatur, in ipſos magnificè circumſpicientis ſeſe Sapientiæ mores, ora, vultuſque aliquantò penſiùs intueamur. Gorgiam Leontinum, Iſocratis, aliorumque præſtantium tum Rhetorum, tum Philoſophorum Magiſtrum, omni liberali doctrina inprimis excultum & perpolitum accepimus. Dum verò idem, è nocturnis vigiliis ad aciem ſolemque procedens, lectiſſimorum hominum conventus & eruditorum ſympoſia deſpicatiſſimè habet; dum

dum ſcientiam reliquorum, veluti mutilam & decurtatam, ſugillat atque faſtidit; ſe verò de omni re, quæcumque in diſputationem vocaretur, copioſiſſimè profitetur eſſe dicturum; an quidquam dubitatis, quantum homini literarum inhæſerat, confeſtim exſorduiſſe alacritate illa futili, qua geſtiens deliqueſcebat? Concidit cum dicto ſummi viri exiſtimatio omnis; paſſimque refugiebant Auditorum animi & aures exulceratæ tuberoſam illam frontem, granditatem illam verborum, magniloquentiam illam grallatoriam, qua Plautinos Pyrgopolynices, Thraſoneſque Terentianos albis, quod ajunt, equis præcurreret. Nihilò Leontino cive modeſtior Hippias Eleus, in ludis quinquennalibus Olympiorum, tota ſpectante Græcia, gloriatus eſt, nihil eſſe in Aſtronomia tam obſcurum, nihil in Arithmetica tam implexum, nihil in Geometria tam abditum & retruſum, quod non ingenio comprehenderet; nec modò Rhetoricen, Muſicam, arteſque omnes, quibus rerum morumque cognitio continetur, exploratas habere, ſed annulum, quem geſtaret in digito, pallium quo eſſet amictus, ſoccos quibus calceatus, propriis ſe manibus concinnaſſe. Apage importunitatem hominis. Miror

nugacem Sophiſtã, & Græculum Declamatorem, tantum otii fuiſſe nactum, ut in doctorum cœtu, tanquam Gladiator in circo, humeros explicaret, latera intenderet, lacertos exertaret, buccisque follicantibus, robuſtè, pancraticè, athleticè velitaretur. Neque verò quiſquam ſecum conſtituat, illatam ab illis Reipublicæ labem ita à me in anguſtum compelli, ut ſapientiæ quidem injurioſi, ipſi verò minus liberales & verecundi ſolùm reputentur: in infinitam perniciem lues illa permanat, in fœdiſſima errorum portenta prolabitur. Teſtes appello Lyſias, Timæos, Dionyſios, qui cum ex umbratili literarum exercitatione ad Civitatum regimen capeſſendum digreſſi eſſent, tam acerba dominatione ſunt uſi, ut non ad civium tuendam incolumitatem, ſed ad exitium properandum, non ad Urbium ingenuam adminiſtrationem, ſed ſervitutem calamitoſam, non ad paranda civilis vitæ præſidia, ſed ad regnorum vaſtationem informatos fuiſſe fatearis. Nolim profectò Platoni dicam impingere, qui non niſi ex Philoſophiæ adytis educi oportere Principem, impensè contendit. Sed cum apud annalium Scriptores, & in omni memoria antiquitatis ubique occurrant florentiſſimarum gentium labe-

labefactatę vires, præſtantium regnorum opes afflictæ vecordi eorum temulentia, qui aliquam doctrinæ opinionem ſuſtinerent, prope eſt ut exclamem, veriſſimè huc trahi poſſe, quod in aliam ſententiam à Nerone dictum legitur: Malim literas neſciviſſe. Ita vaniſſimi homines quemadmodum ſapientiam priùs, eadem poſtmodum ratione, Principatu nihil ut ſolet immutante mores, potentiam oſtentui habuerunt.

Bonâ veniâ veſtrâ liceat hìc mihi, Auditores, inflicta olim Religioni vulnera inclementi manu reſcindere. Revocate in memoriam Macedonios illos, Neſtorios, Sergios, alioſque infulatos Urbium clariſſimarum moderatores, quos impotens affectandæ ſapientiæ ſtudium, & illa in divinarum rerum opinionibus præcipuo quodam modo vecors ac immedicabilis philautia, in impias opiniones atque nefarias abripuit: quique, propterea quod famæ magnæ maluerunt eſſe quàm bonæ, orbi Chriſtiano certiſſimam perniciem, funeſtiſsimum exitium intentarunt. Quid enim in illis moræ fuit, quò minùs per inconſultam temeritatem atque dementiam lectiſſima Regna ſacrilegâ errorum contagione corriperent, votoque exitiabili ac furioſo, non

Epheſium Dianæ delubrum, ut Heroſtratus, non Delphicum Apollinis, ut Phlegias; ſed Religionis Templum araſque ſanctiſsimas flammis conſceleratis involverent, popularentur, everterent? Quo verò demum proventu, quo conſilio inſaniſſimi ſceleris, tot ægri capitis ſomnia, tot improbiſſima commenta callidè & veteratoriè effutiverunt, niſi ut illa ipſi luce noſcerentur atque clareſcerent; ut per ruinas illas, tanquam per æquatam ruderibus muralem foveam, in aliquam nominis memoriam correptarent; ut everſum Religionis domicilium aut in ſui erigerent nominis monumentum, aut ſuæ vellent audaciæ ſupereſſe veſtigium. Illuſtre eſt, multiſque comprobatum experimentis Irenæi, ſcriptoris clariſſimi, teſtimonium; complures, cum apud Catholicos obſcuriore, quàm cuperent, loco eſſent, pravis inventis, quæque novitate aliqua ferirent animos, id eſſe conſequutos, ut ex gregariis & ſubſignanis militibus, aliorum Duces & ſigniferi fierent, minimùm abnuentes enormia quælibet ac deteſtanda, modò ſpecioſa fuerint, dicere; neque penſi quidquam ſanctique habentes patriam, rempublicam, majores ſuos, modò per ora hominum magnificè incederent, ſuique me-

mo-

moriam quoquo modo apud poſteros propagarent. Quas illi tragœdias in florentiſſimis Europę, Aſiæque Regnis non excitarunt? quod impietatis ſuæ virus privatim, publicè, quà pote, quà non pote, effuderunt? quibus mendaciis, quà licentia, quàm effrenatâ opinionum inſaniâ, cui falsò libertatis nomen obtenderent, non ſunt ſæviſſimè perbacchati? Prævalidis rationum momentis, & apertiſſimis ſacrorum voluminum teſtimoniis rejecti, ad interiorem admonitum afflatumque divinum, proh ſanctam & priſcam fidem!, impuriſſimi homines, & ſcelerum furiis agitati confugere: ſanctiſſimorum Præſulum, Conciliorum, maximorum Pontificum, quorum incorruptum judicium, & ſumma in Eccleſia ſemper fuit authoritas, animadverſionibus juſſi obmuteſcere, ad Urbium Magiſtratus provocare, ad armatorum Principum forum Religionis cauſas transferre: horum verò libidini obtemperantes interdictionem Sacrorum, ſocialis vitæ ademptionem aſpernari, deſpicere, ſcurrilem in modum probroſumque ludificare. Quibus demum etiam ſpoliati præſidiis, & externæ poteſtatis munimentis dejecti, vel iterum ad artes ſuas, mendacia dico & fallacias, relabi, vel tanquam immanes belluæ

undique concluſæ, & jaculis appetitæ, implacabiliùs furere, extremam rabiem, venenatam iram, omnem acerbitatem exerere. His hominum portentis quid deprecari potuiſſem, aut ad eorum commiſerationem benigniùs, aut conducibiliùs ad Reipublicæ ſecuritatem, quàm ut aut Magiſtratus nunquam, aut literas attigiſſent? Tot certè nationes praviſſima errorum caligine coopertas, tam exuberantem, & multorum corroboratam audaciâ, morum corruptelam cum animo reputans, prope eſt ut exclamem, feliciſſimos fuiſſe mortalium agreſtes illos Scythas, apud quos ſapienter meminit Anacharſis plus valuiſſe bonos mores, quàm apud Athenienſes multas amplaſque literas. Quid enim de obſcuritate ſua & imperitia rudes populi quererentur, quibus ab optimarum artium inventrice Græcia longè ſejunctis, adhuc tamen cum æquitate, fide, innocentia amiciùs multò atque ſtabiliùs conveniret? Profectò ſi nullas multi literas, aut, quo nihil beatiùs fieri poſſe ſtatuimus, moderatè quantaslibet coluiſſent, minùs tragici non ita paucis in locis & luctuoſi Eccleſiæ Faſti & Annales eſſent; Religionem verò, quam in ampliſſimis Regnis jacentem, in aliis dilaceratam conquerimur, florentem & in-

& integram haberemus. Satin' videor, Auditores, eorum ſpecimen vobis aliquod exhibuiſſe, qui præſumpta in literulis opinione, tanquam favis Atticis, aut Homerica loto deliqueſcentes, abruptis legum repagulis, ad omnem licentiam impunè convolant? Timeo potiùs vehementer, ne, qui in re perſpicuè cognitâ multa immodicè & redundanter documenta congeſſerim, moleſtus etiam vobis impendiò fuerim & odioſus.

His atque talibus permotus efferre ſatis & prædicare non poſſum Mirandulanum illum, Picumne dixerim, an Phœnicem?, acri, quod ſcitis, virum ſolertique judicio, ac literarum, quantum unquam hominum ulla vidit ætas, appetentiſsimum; qui cum pervolutandis Philoſophorum veterum monumentis meliores annos contriviſſet, ubi illorum ſcientiam, ac multo maximè Stoicorum, ſuperciliosam quidem & comminantem, cæterum veritatis ſucco, ac ſæpe etiam coloribus deſtitutam offendit, ad eandem è ſacrorum voluminum paginis hauriendam curas omnes & cogitationes impigrè adjecit. Tum verò animus, qui ab aridiſsimo illo horrore, inopia, jejunitate miſerrimè contabuerat, ſplendido regioque exceptus, ut ita dicam, convivio veritatis,

ubi

ubi omnia conſpirarent ad frugem, nihil efferretur ad pompam, ita refectum ſe inſtauratumque ſenſit, ut ab infelicibus & ſenticoſis ſaltibus ad lætiſſima paſcua, à lacunis ſordentibus atque contaminatis ad ſinceriſſimos fontes & ſalutares videretur eſſe traductus. Et quidem quinam uſque adeò ad memoriam poſteritatis inſignes Lycurgi, Solones, aliique gentium inſtitutores, qui non confeſtim fatuos ſuo ſe judicio fateantur, ſi Juris prudentiæ ſanctiones legeſque perpendant, quibus Moiſes non ab Ægeria, Minerva, aut Jove, ſed à ſupremi Numinis congreſſu manuque acceptis, Hebræorum Rempublicam informavit atque conſepſit? Tacitus enim prætereo ſanctiſſimas Verbi Divini præceptiones, ne talia humanis inventis conferendo, ſpecie laudationis videar eſſe ſacrilegus. Literarias verò facultates, abſolutamque literarum omnium encyclopædiam paginis illis cumulatiſſimè contineri, uſque adeo nemo ſanus addubitat, ut nimis anguſtè videri poſſim de ſacræ ſcientiæ majeſtate ſentire, niſi protinus adderem, quidquid alibi peccatur, hic corrigi, quidquid à veritate deflectit, hìc in gradum referri, quidquid implexum, languidum, & obſoletum eſt alibi, hìc perſpicuitati, viri-

bus,

bus, nitorique reſtitui. Quotus enimvero quiſque tam hebes rudiſque judicio ſit, ut ſacræ Ethnicæque ſcientiæ arbiter conſtitutus, utriuſque laudes fructuſque ad trutinam per diligentem inquiſitionem expendens, non illico diſertè pronunciet, præ ſacris Oratoribus reliquorum balbutientem eloquentiam, Hiſtoricorum, qui in profanis numerantur, fidem infidam, Philoſophorum ſapientiam verè, ut ille dixit, inſanientem, eoque deterius, quò improvidis animis majori ſpecie obtentuque veritatis imponunt. Ut planè Græcorum intelligentiam, cui comparandæ atque ſtabiliendæ tot deſudarunt ingenia, illuſtrem quandam ſideribus noctem dixeris, Hebræorum verò ſapientiam, de lucida illa nocte triumphantem Auroram, ipſam etiam aliquo eouſque habendam in pretio, donec à Solis, Verbi inquam divini mox ad populos vivæ vocis pondere erudiendos conſecuturi, radiis vinceretur. Quo loco admiratione dignum eſt, ſingularem illam doctrinarum omnium, rerumque maximarum complexionem, quam in ſacrorum voluminum literis tantopere jure ſuſpicimus, nihil ſanè magis commendare, quàm æquabilem quendam inceſſum ac temperatum, mirumque rerum altiſſimarum

cum

cum inuſitata moderatione conſenſum. Inſtitutiones illas evoluite, examinate res geſtas, oracula æſtimate. Quid ibi elatum? quid aſperum? quid vendibile? quanta ſine ſupercilio gravitas? quantus nitor ſine levitate? quanta ſine pompa majeſtas? Hoc etiam nomine theſaurus eſſe dignoſcitur, quòd illi ingens immenſumque in receſſu pretium, nulla in ſuperficie oſtentatio.

Illuſtres Geographi prodiderunt, Atlantem montem, qua parte interioris Africæ campis latiſſimè præjacet, ſilvis virentibus conveſtitum, irriguis fontium ſcatebris exultare, jucundiſſimis certantium avicularum concentibus, obſtrepentium inter frondes aurarum ſibilis, omnique florum pomorumque diſcolori amœnitate, quadam Naturæ pompa, eſſe lætiſſimum. Eundem verò qua parte perpetuas rupes mari objicit, informem, ſqualentem, aſperum, non ferendis frugibus, non alendo pecori, non educandis arboribus ſatis idoneum memorant. Sapientiam magnifica ſui oſtentatione tanquam ſpectaculo poſitam hactenus colluſtravimus. Tempus & ratio monent, ut adverſam ejuſdem occultantis ſeſe faciem ſubjiciamus oculis, ac veluti alterum montis editiſſimi latus cauteſque percen-

ſea-

ſeamus. Argutè quidem aptèque Veteres ita Veneris effigiem proponebant, ut teſtudinem pedibus premeret; illud proculdubio contendentes, ut à Dearum pulcherrimæ ſymbolo diſcerent ſe domi continere mulieres, quibus aliqua formæ laus eſſet & venuſtatis. Nullam fateor ſtudioſam ſatis, & firmam eſſe cuſtodiam pulchritudinis, rei perquam lubricę atque præcipitis, complurium etiam periculis & funeſtiſſimis caſibus inſignitæ. Non tamen idcirco de Minerva perinde atque de Venere cenſuerim reputandum. Alienam illa quidem à ſuis moribus ducit omnem ornatus mollitudinem, nec ejus ingenii eſt, in bracteolis ſegmentata, aut lemniſcis fimbriata cyclade laſcivire: ſed neque horridam & incultam feceris, non vultuoſam & moleſtam, & quadam ferocem triſtitia vultus ac torvitate, ut ſcrupoſum illud antrum referat, in quo dixit Heraclitus latitare veritatem. Parum liberaliter, ne quid duriùs dicam, cum bonis artibus agunt, qui illas in neſcio quos anfractus flexuſque ſordidè obſtinatèque concludunt, moroſam verò quandam earum ſeveritatem atque duritiam, dignitatem & amplitudinem interpretantur. Quod Oratorum maximus affirmare non dubitavit, uſum loquendi ſe po-

populo conceſſiſſe, ſcientiam ſibi reſervaſſe, verè id fortaſſe dictum judicaverim ab hominum diſertiſſimo, ſed haud ſatis ſcio an humaniter ſatis, & citra artis injuriam, cui omnia ſua incrementa gloriamque debuit. Quid enim? tam ſtupido ingenio, tàm impolitos in arte dicendi fuiſſe ſuſpicer Craſſum, Cottam, Hortenſium, quibuſcum tamquam cum colonis partiariis, ut eloquentiæ fundum, ita gloriam omnem collectæ inde largiter frugis communem habere, aut per arrogantiam ruſticè faſtidiret, aut malignè per invidentiam detrectaret?

Haud ſum neſcius, plurimos, qui avaro ingenio atque difficili, cum Timone illo ringi malunt, quàm proloqui, ſordibus & importunitati ſuæ, modeſtiam, pudorem, verecundiam, honeſta vocabula, obtendere, notamque illam Epicuri ſententiam, *Vive latens*, crebris uſurpare ſermonibus. Eos verò tam ſpecioſo præſidio denudare minimi negotii fuerit. Etenim ſi ita Epicurus animum induxerat ſuum, ut pretium omne dignitatemque ſapientiæ in obſcuritate vitæ ſtatueret, cur hoſpites ex Ægypto Philoſophos tantâ lautitiâ excepit, ut Philoſophicæ ſobrietati remiſſo nuncio, regios animos induiſſe ſit cre-

di-

ditus? cur amicos in Aſia ad egregiè tuenda, præclariſſima ſcilicet, caſtra, tot literis inſtigavit? cur Metrodorum, Ariſtobulum, Chærodemum, æmulatione ſtudiorum infeſtiſſimos hoſtes, tot conviciis, tot maledictis invaſit, tanta apertiſſimi furoris acerbitate exagitavit? Non iſta profectò animum patefaciunt gloriæ faſtidioſum, & famę iratum, quique ignoratione virtutem, otio diſciplinas, felicitatem oblivione definiat. Non id eſſe arbitrer ſuper comparata doctrina in ſinu ſuo gaudere, minimè verò in aura populari & memoria, imo ſtrepitu & pompa admirabundæ poſteritatis. Latere, niſi fallor, uſque adeo ille noluit, ut hoc ipſum, *Vive latens*, dixerit, ne lateret, & gloriolæ frondes aliquot ipſa gloriæ, ut ita dicam, pampinatione colligeret. Tametſi non immeritò ſapientiæ ſuæ noctem quandam Epicurus offunderet, qui perditæ profligatæque, ut vulgo circumfertur, doctrinæ Author & parens, omnia ad jucunditatis illecebram, vitamque ſuaviſſimè traducendam exegit, arteſque honeſtiſſimas non dominas rerum conſtituit, ſed adminiſtras atque ſatellites voluptatis. Taciturnitatem illa ſacra deſiderant; latibula jure quærit compotorum Comique gregalium

ſcien-

ſcientia elumbis & temulenta: caligine ille perfruatur ſua; ſuis præſepultus tenebris occurſus hominum lucemque refugiat. At verò quibus ingenium contigit ad expreſſioremDivinitatis referendam imaginem probè præcultum & comparatum, quibus cum Catone animus eſt, & certa deliberatio,

Non ſibi, ſed toti natum ſe credere mundo,

quo demum illi aut ſuarum rationum aut publicarum compendio deliteſcant? Quin potiùs ampliſſimo laudum ſuarum patrimonio amicos, patriam, cives, exteros prolixè largèque communicent: aquarum ſuarum ſaluberrimos hauſtus, deductis in alios liberaliter rivulis, ad frugi ſitim tollendam impertiant: utque in ſinum felicitatis, quam unicè quærimus, vim Mortalium, quantam maximè poſſunt, adducant, ſumma alacrita te contendant. Quod ſanè publicæ felicitatis parandæ promovendæque ſtudium ita ſolicitos habuit veteres Urbium inſtitutores, quos admirabiles, & Diis proximos haberi Reipublicæ intererat, ut legum ſuarum inventa ad Apollinem, Minervam, & Jovem, honeſto, ut exiſtimabant, mendacio, referrent; quò populorum animis, injecta Numinum Religione, tenaciùs adhæreſcerent, eoque impenſiùs cole-

lerentur. Licuit Legislatorum prudentiſſimis etiam fraude ac mendacio juvare opinionem ſapientiæ: nos illam ingenuè exhibere non poſſumus? Illi, familiares Numinum congreſſus comminiſcentes, eandem fictitiis fulcimentis efferunt atque communiunt: nos illam veluti raptam è ſole Proſerpinam, in ima terrarum, in abditiſſimas latebras conjiciemus?

Commiſerari ſæpiùs contigit mihi calamitoſa illa atque iniquiſſima Romanæ Reipublicæ tempora, quibus præcipua apud Principes commendatio habebatur, ignavia civium, & acceptiſſimæ genus aſſentationis, ſervile ſilentium. Non ſanè hic appellandam aſperiùs, aut acerbiùs exagitandam ſuſcepi illam Bruti fatuitatem, qui longè alius ingenio, quàm cujus ſimulationem induerat, novam arcanamque civis patriæ ſtudioſiſſimi artem commentus eſt, altiſſimè ſapere, nec videri. Non tegebat ille ſolertiſſimæ mentis conſilia, ſed prorogabat; non jacentis vultus animuſque ille erat, ſed expectantis; nec tempori deſerviebat ignavus, ſed callidus inſidiabatur. Longè erat alia Romæ facies, Tiberio ac Nerone imperium occupantibus, qui perpetuò in ſapientiſſimos quoſque odio conflagrarunt; ni-

mirum ut veſania Principum licentiùs fureret, quæ nullos flagitiis omnibus dedecorati Principatus Cenſores, nullos contaminatæ probroſæque vitæ Judices pertimeſceret. Ea, inquam, temporum ſiniſteritas obtinuit, ut ſocordia in obſequii partem veniret, & quæ ſegnitia erat, ſapientia diceretur: eò demum prorumpente licentia, ut Julium Agricolam, Quæſtorem primùm, & haud ita multò poſt Tribunum renunciatum, cum rerum publicarum incurioſus ageret, ſatiſque haberet ſuper partis honoribus veluti ſub umbra cubare molliter, non modò pati, verùm etiam commendare ſuſtinuerit ejus viri laudator Hiſtoricus, quòd probè noſſet Neronis tempora, quibus, ut ejuſdem ſunt verba, inertia pro ſapientia fuit. Uſqueadeone ab inſtituta operis ſui ratione Hiſtoricorum callidiſſimus ille diſceſſit, ut qui aliorum virtutes in deterius trahendi finem nullum facere conſueſſet, Quæſtoris nunc Tribunique, ſibi affinitate conjuncti, deſidiam extollendam, prædicandam, Sapientiæ nomine exornandam putaverit? ſi tolerantem diceret, conticeſcerem: ſi beneficiis flagitioſiſſimi Principis emollitum atque demulſum, ad ejuſdem vitia moreſque coinquinatos conniventem pronunciaret, non

con-

contradicerem: ſi meticuloſum hominem affirmaret fortunę ſuæ potiùs rationem duxiſſe, quàm famæ, etiam veniam impetraret. Sed quem fluentem inertiâ non diffitetur, ſapientem conſalutare, quid iniquius? Sed Tribuni quæſtuoſam deſidiam, per violatam ſanctiſſimi dignitatem nominis, ſapientiam dicere, quid criminoſius? in illa Urbe præſertim, ubi ſceleratiſſimos impetus hominum perditorum ſingulari nobilium ingeniorum virtute atque prudentia retardatos fuiſſe atque coercitos, neminem profectò minùs præterire, quàm tantum Romanarum rerum Scriptorem oportuit.

Atque hìc quidem ampliſſima ſpatia præteriti temporis reſpicienti mihi temperare non poſſum, quò minùs Chriſtianæ Reipublicæ vel maximè gratuler tot præcellentia doctrinarum ornamentis ingenia, tot Præſules rerumque ſacrarum Procuratores beata quadam literarum ubertate affatim diffluentes, quorum ſapientiâ non modò in aprico lucidoque poſitâ, ſed armatâ etiam pugnacique factum eſt, ne in amœniſſima Religionis ſepta errorum ſentes impunè præſerperent, & lætiſſimam ſegetem informes belluæ contactu fœdo polluerent, effrena excur-

ſione protererent. Nego enim Lernam ullam, Stymphalum, aut Erymanthum teterrimas hydras, ſæviſſima portenta, exitiabiles peſtes in Religionis perniciem evomuiſſe, quæ non etiam Hercules ſuos, ſuos invenerint Theſeos. Dies me profectò & verba deficerent, ſi viros de re Chriſtiana optimè meritos, eoſque lucidiſſimo Sapientiæ gladio in pulvere ſemper & ſole dimicantes, non dicam præconiis laudum pro dignitate condecorandos, ſed recenſendos cum cura ſuſciperem. Nolite porrò credere, eos hic à me dumtaxat adumbrari, quos ſui muneris ratio publicæ ſalutis procurationi præfecerat. Ipſi etiam à rerum humanarum ſtrepitu longè ſepoſiti Religioſæ vitæ cultores, ipſi per incultos nemorum ſaltus, aut horrentia jugorum aſpreta diſperſi Eremicolæ, qui ſubductum rebus mortalibus animum divinis tantùm in placidiſſima vitæ tranquillitate repræſentabant, ſiqua circum Hæreſeos ſibila audirentur, certatim ſe ex obſcuris ſpeluncarum receptaculis ad ſtrenuè occurrendum & decertandum proripuerunt, Non illi inter pacis illius beatiſſimæ ferias duxerunt ſibi eſſe conſeneſcendum, decumanos Eccleſiæ fluctus, veluti è ſpecula, extra aleam deſpectantibus. Quamobrem tanquam

legio auxiliaria lituis evocata, emergere ex umbris, poſilire in apertum, ipſaque diuturna ceſſatione robuſtior, Religionis cauſam aut nutantem ſtabilire, aut debilitatam confirmare, aut jacentem erigere. Tigrim ferunt, Armeniæ fluvium rapidiſſimum, longiſſimo tractu terrarum, occultum ignotumque ſubterraneis meatibus fluere, donec rivorum vectigalium aquis in unum coactis, aperto Cęlo ac ſonoro gradu, tanto fragore ſe in ſubjectos iterum campos exonerat evolvitque, ut ſit planè perſpicuum, non ignaviam abditi fluminis illam fuiſſe, ſed aſtum; nec amiſiſſe in latebris aquas ſuas, ſed fœneraſſe. Non abſimili conſilio ab hominum ſocietate & commercio ſejuncti tegebantur Heroes illi, ſed ut cumulatiùs ad bonam Eccleſiæ frugem exundarent: demiſſi & jacentes quieſcebant, ſed ut impetu & vigore collecto validiùs in hoſtes magnanimi leones exurgerent. Non otiabatur occluſus ignis, tam ſtrenuè tempori erupturus: nec ulla erat nubium deſidia, in quibus validiſſima contra Typhœos illos fulmina cudebantur.

Quocirca nullus ambigendi locus eſt reliquus, Sapientiam ad innoteſcendum nobis divinitus obtigiſſe, infeſtoque animo cum eâ-

dem agere, quicumque illam è cœtu mortalium, veluti lumen è convivio tollunt, & in obſcuros anfractus compellunt, miſerèque concludunt. Nunquam Plato ad Siciliæ oras appulerit; quis avaritiâ furentem Dionyſium mitigabit? Conſulem Tullium Roma non videat; quis faces ſacrilegas è Catilinæ manibus extorquebit? Ignorent Athenæ Socratem; quis plebem ſeditioſam, magiſtratus nequiſſimos continebit? Is verò ita Sapientiæ proferendę ſtudio exarſit,ut cicutam ſorbere juſſus, carcerem verterit in Lyceum,nec antea ſociis amiciſque deſierit prodeſſe, quàm vivere. Quid hic Demoſthenem memorem, qui patriam, à qua in extremas calamitates adductus fuerat, literis illuſtrare non deſtitit?Quid dulciſſimum Poetarum Ovidium, in informi rudique Scythia exulantem? Sed natum Muſis ingenium in ipſo Septentrione magis incaluit. Caucaſeæ rupis aſperitatem biverticem Parnaſſum, perpetuis Aquilonibus impulſum mare Pegaſeum fontem eſſe exiſtimavit; & ſuper curvatis hiberna glacie arboribus citharas & plectra ſuſpendit. Uſque adeo ſapientiſſimus quiſque potuit ſine fortunis, ſine patria, ſine ſole, ſed ſine ſapientia, quæ publicam reſpiceret utilitatem, eſſe non potuit.

Hoc

Hoc probè fixo & ſtabilito, agite ab omni ingenuæ laudis parte ornatiſſimi Juvenes, quos honeſtas artes excolendi ardor erexit ad gloriam, quos literarium claſſicum, quod è Palladia turri perſonuit, tantâ frequentiâ, tanta animorum contentione, ad eruditum pulverem evocavit. Sapientiam colite, non jactabundam illam, Ædilitia oſtentatione turgidam, nec verò refugam alteram, & rugoſa fronte ſubruſticam, ſed ita temperatam, & ſuis undique expletam perfectamque laudibus, ut nec ſumptuarias leges excedat, nec vileſcat precaria timiditate. Hoc verò eſt, quod vetuſtiſſimo effato uſurpatum, *Feſtina lentè*, Titus Veſpaſianus Delphini Anchoræ obvoluti ſymbolo illuſtravit: ut illius, qui velociſſimus animalium creditur, pernicitatē & impetum cum hujus gravitate & cunctatione intelligeremus eſſe jungendum. Egregiè Marcus Tullius, quemadmodum Plutarchus eſt Auctor, cùm à quibuſdam quòd nimis effusè, ab aliis contra quòd admodum paucis ſuam locaret operam, notaretur; gaudeo, inquit, lætorque, hoc etiam extare argumentum moderationis meæ: nàm me in neutram partem peccare, hac ipſa calumniatorum diverſitate colligitur. Poſtremò

quo Agricolæ modo non projectis corbulis temerè, nec ſummis digitis ſingulatim ſemina jaciunt, ſed pugillo expanſo, juſtoque commenſu; ita eos, qui opes literarias, in quibus veræ gloriæ meſſis ampliſſima continetur, adminiſtrant, modum inter utriuſque vitii confinia retinere oportet, probèque meminiſſe, Sapientiam neque oſtentandam eſſe, neque occultandam.

ORATIO IV.

De Armorum & Literarum ſtudiis componendis.

Habita in Aula Maxima Collegii Romani in ſolenni ſtudiorum inſtauratione.

NULLO ſanè nomine de rebus humanis natura præclariùs meruit, quàm quòd in tot ancipites caſus nato homini projectoq; ingeniũ providerit, non, ut cæteris animantium, anguſtis quibuſdam certiſque limitibus coarctatum, ſed ad omnes facultates, ingenuo viro patriæque ſtudioſo dignas, expeditum & patens, ipſique naturæ par, & quod oppoſita ſtudia, longè diſſitas artes, & omnia diſciplinarum divortia complecteretur. Quamobrem falsò & inju-

& injuriâ de conditione temporum conqueruntur, qui inter armorum tractationem & literas vetuſtiſſima quædam odia & implacabilem diſcordiam excogitant; tanquam ætatem hanc noſtram, cum exactis omnibus de militari laude certantem, literas pudeat reſpicere, & à bellico pulvere ita prægraventur eorum oculi, quorum in pulvere literario labor eminet, excellit induſtria, ut abjecta omni cunctatione cogantur à Muſarum complexu,& ſua ſtatione decedere. Quid enim,ajunt, hìc ſibi reliquum putet Sapientia? Quietem? quam tot armorum ſtrepitus & claſſica perdiderunt. Principum patrocinia? quorum mentes, altrices cæteroqui bonarum artium, bellorum cura præpediit. Præſidia divitiarum? quas lacunæ perpetui Martis exhauriunt. Honores? quos non imbellis deſidiæ invitamentum, ſed periculorum dumtaxat & vulnerum præmia conſtituunt. Gloriam? quod illuſtre virtutis ſtipendium vitæ profuſionem conſequitur, vimque inde partam magnorum in Rempublicam meritorum. Nimirum ſimul atque ſuſpicio bellici tumultus increbuit, ſpes omnis manſueta ſtudia excolendi decidat neceſſe eſt. Rarus ſiquidem Cato, oppugnante Uticam Cæſare, cum Phædone philoſophatur;

tur; & rarus Archimedes, curſante per vias domoſque infeſto milite, modulos ingentium operum gryphoſque deſcribit in pulvere, quos nempe ſuo mox ſanguine obliteret atque confundat. Super hæc nimis invidæ temeritatis eſſet, deſponſam ac deſtinatam huic ſæculo bellicam laudem præripere adniti, ac veluti in tot militum atque Imperatorum frontes invadere, commeritaſque ex illis lauros extorquere atque divellere inconſulto quodam quaſi furore Sapientiæ. Honorem itaque abunde cumulatèque habitum ſibi putent literariæ diſciplinæ, ſi aliquantùm conticeſcere jubeantur, quo tempore Dictator edici juſtitium, forum claudi, ærarium obſerari, judicia tolli, actiones omnes cauſaſque intermitti jubet. Annuat Deus immortalis precibus noſtris, faxitque, ut, armorum deſuetudine mitigatis animis, deferveſcat ardor hic bellicus,& à diuturnis laboribus ad otium devexa ætas colligat ſeſe, & ad ſtudia pacatiora cōponat; tunc jacentes artes erigēt ſeſe, diemque videbunt ſuum, ac veluti ceſſatione reparatis viribus, ad lætam & opimam ſegetem refloreſcent. Nimis enim abſurda atque converſa res eſſet, in hac non meditatione tantùm, ſed rabie curſuque multiplicis belli,

e Mi-

è Minervæ ſuggeſtu audiri literarum præconem, qui animos lectiſſimæ Juventutis militari ab arena, vel ad eruditas Platonis platanos, vel ad mollia Muſarum vireta convertat. Et hi quidem ſunt triſtes illi ac planè tragici queſtus plurimorum; qui ſapientiæ ſtudia in invidiam vocant; & diſtrictam bellis ætatem quaſi quoddam velamentum obtendunt ſocordiæ ſuæ; nimirum ut literas non tam neſcire per mentis hebetudinem, quàm præarmorum laude deſpicere videantur. Eam ego hodie notam à præclariſſimis artibus depellere ac penitus amoliri contendam, non minùs è Republica, quàm è dignitate hujus loci facturus, ſi in tam confertis literarum comitiis, quantùm dicendo aſſequi poſſum, oſtendero, literarias & bellicas artes, quæ oppoſita ſtudia plerumque habentur atque rixantia, in eandem ætatem quàm accommodatiſſimè cadere, nullamque eſſe inter literas & arma diſcordiam.

Video autem cujuſmodi cum hominibus mihi res futura ſit: nempe cum iis, qui belli aſpectum triſtem & ominoſum non ferunt, eaque crebris ſermonibus tradunt & inculcant, quæ vel Strepſiades jactavit apud Ariſtophanem in Nebulis,

Ἀπί-

Απόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε πολλῶν εἵνεκα

vel apud Maronem Drances in Latinorum procerum cœtu,

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Quanta animorum acerbitate ante oculos obverſantur illa inhumatorum cruenta corpora, illa ſingultantium membra exanguia, illa per agros ſaltuſque feris & alitibus projecta cadavera! Quàm ſæva & deformis facies, cum Mars plenis quadrigis ſe infert, flammiſque, rapinis, cædibus, ſatellitum ſuorum catervâ ſtipatus, liberos à parentum, viros à ſponſarum complexu violenter abſtrahit; ornatiſſimas domos cum vetuſtis familiarum monumentis, opulentiſſima templa cum æneis & marmoreis ſimulacris, clariſſimas Urbes cum omni veterum ædificiorum cultu atque memoria latrociniis devaſtat, ferro diruit, igne ſuccendit! Milites verò, ſuper inſitam pervicaciam, ſecundis feroces, quique nocendi aſſuetudine & impunitate, ab omni morum elegantia abhorrere ſolent, ſacra profanaque omnia promiſcuè, omneſque, ut ajunt, eodem ordine Achivos habentes, quàm security ferociter ubique procaciterque laſciviunt! Eò proculdubio ſe eorum audacia porrigit, ut ferire, cæde-

cædere, optimum quemque jurgio laceſſere, immani ſulphure ac flammis omnia miſcere, ea demum, poſtquam honeſtatis etiam vocabula corrupimus, militaria reputent decora, ea in maximam partem fortitudinis bellicæ gloriæque ponant. Notum quippe

quid cæde calentibus armis,
Quantum iræ liceat, motuſque quid audeat enſis.

Hæc atque talia ſi literarum ſtudioſi ſeriò perpendant, an exiſtimatis quidquam moræ in illis futurum, quin abjectis calamis, omnique cura demerendæ literis poſteritatis, maſculos ſumant animos, gratoque ocio fortiter renuncient, ut Achilles ille, apud Lycomedis filias latitans, ab Ulyſſe ad pulverem Troicum evocatus? Hoſtes obſident Patriam; tu in Muſæũ te recipias? In avitos agros flammas immittunt; tu ad Cleanthis lucernam deſidioſus evigiles? Tormentis æneis quatiunt, occultis ignibus ſubruunt mœnia civitatis; tu in Deæ Ægeriæ ſeceſſu ruſticeris? Dum alii pro aris & focis capita devovent, dum hoſtium gladiis pectora objiciunt, tu in Democriti puteo, tu in ſubterraneo antro Demoſthenis; metu vacuus, exſors periculorum, ſegnem induſtriam fatiges? Deſidem te &

tor-

torpentem viderint parentes, liberi, populares, qui in amiſſione fortunarum, in agnatorum gentiliumque funeribus, in patrii excidio ſoli cum horrore ingemiſcunt? Oreſte tragico vel Ajace dementior fuerit, qui vultu multa, ut ajebat ille, & præclara minante, admirandæ eruditionis famam commoveat, dum affines, amici, cives infeliciſſimi aut ferro in acie concidunt, aut oppreſſi ſervitute ne liberum quidem ſpiritum ducere poſſunt.

Quamvis, ſæviſſimo ingruente bello quæ ſecuritas præſtantibus obvenire queat ingeniis? Ubi, inter pulſus tympanorum, honeſtum locum habeat otium, neceſſarium illud optimumque ſtudiorum coagulum? Veriſſimè omnino Cicero, bella & concertationes tempus mutum à literis nominavit; ſilere leges inter arma, inter militum clamores non audiri voces Aſtreæ, Muſis atque Marti nullum docuit eſſe commercium. Quocirca quemadmodum ii faciunt, qui obſeſſis Urbibus, annulos, gemmas, chryſendeta, & pretioſiſſima quæque terræ altè defodiunt, repetenda ſcilicet, & à ſitu atque rubigine detergenda, cum ſerenitas optatæ pacis refulſerit; ita, cum circum aures litui ſtrepunt, ſapientes viros convenienter tempori agere, & ſcribendi inter-

tercapedinem facere oportet, donec ſedatiores animi ad ſpem manſuræ libertatis exarſerint. Et hæc quidem de armis literiſque vulgi exiſtimatio eatenus apud multos invaluit, ut Martem, quod olim de crudeliſſimo tyrannorum Phalaride eſt traditum, vocem ipſam jugulare virorum doctrinâ præſtantium putent. Ego verò cum iis hominibus non illud primùm expoſtulaverim, cur ultro ſe gerant ita ſtrenuos obloquutores militaris diſciplinę, cujus unicè præſidio eâ ipsâ, quam tantopere quæritant, ſtudiorum tranquillitate perfruuntur. Quòd enim vitam ſine periculo, fortunas ſine injuria poſſideant, quòd in gremio ſuaviſſimæ pacis exigant vitam, virtuti militum referre debent acceptum, quorum impigro fidelique ſtudio fit, ne Religionem in templis, juſtitiam in foro, domi fidem, pietatem, honeſtatemque deſiderent. Neque rurſus illud otiosè contendam, in ſæviſſima belli tempeſtate, ad literas non modò tutiſſimum eſſe perfugium, ſed earum tractationem ipſa circumſtrepentis belli aſperitate accidere jucundiſſimam. Quid enim aut ſuavius, quàm bellicos fluctus ab illo mentis portu proſpicere, aut glorioſius, quàm, reliquis gladio dimicantibus, de teterrimo ignaviæ

mon-

monſtro calamis triumphare? Profectò ſicut qui, procelloſo ruente turbine, ad tecta confugiunt, neſcio quomodo dulciore, quàm ſoleant, ſenſu ſe domi continent, ita qui in publica armorum calamitate ſapientiæ arcem tenent, acceptiùs gratiùſque ſecuritatem ſuam alieno periculo metiuntur.

Nolite verò ſuſpicari, me ex eorum eſſe numero, qui aut Cynico faſtu, tanquam vinitoria falce, animorum affectiones reſcindunt, aut, utraque aure olorinis pulvillis reclinata, ad orbis collabentis ſtrepitum, ut qui ſomnos aquarum molliter decidentium murmure alliciunt, jucundiſſimè conquieſcunt. Armorum incommoda uſu triſtia, ſenſu moleſta, toleratione difficilia eſſe ita non ambigo, ut ad illa mala non tangi, id verò eſſe credam non inflammari ſub æſtuoſa Syene, aut inter Arcticas pruinas non obrigeſcere. Quis enim ingenio ſit adeo duro & perpeſſitio, ut publicas privataſq; calamitates ſupercilio irretorto, & nihil infracto animo ſuſtinere poſſit? Verum ſi judicia hominū ſapientiſſimorū, ſi naturam ipſam belli & pacis artium diligenter inquirimus, omnia ejuſmodi reperiemus, ut vos, flagrante bellis ævo, ad præſidia doctrinarum expetenda vehementer accendant.

Ut autem huic ſtabiliendæ veritati, quæ in extremæ ſunt vetuſtatis memoria generatim universèque percurram; primùm omnium clariſſimum illum Thebarum conditorem Cadmum expendite, virum ita à natura genitum, ita uſu & exercitatione ad arma inſtitutum & comparatum, ut vel cum colonum ex milite ageret, & agricolationi, quæ mitiſſima eſt artium, ſtuderet, non niſi Draconum dentes, quos ante mactaſſet, pro ſeminibus jaceret, qui mox in horridam armatorum militum meſſem, non ſine Agricolæ ipſius terrore, pubeſcerent. Tantum tantoque fortitudinis robore pollentem virum nemini eſt dubium decem & ſex literas è Phœnicia in Græciam detuliſſe. Notas verò literarum reliquas in bello Trojano adjecit pugnaciſſimus ille Græcorum Palamedes, cujus ſcientia militaris ad ipſius Ulyſſis invidiam, non niſi æmuli ſui morte tollendam, effloruit. Prætereo, quod idem teſſeras militares, ordinemque, quo acies procederet, commonſtravit. Quæ omnia ſi ille, quod multi perhibent, à gruibus didicit, id ipſum commune mirumque armorum ac literarum vinculum prodit. Illæ enim dùm non niſi inſtructa acie, & ordine, ut ait ille, literato, aerem permeant, va-

varietate illa figurarum, quas volatu deſcribunt, authores fuerunt armatis quidem viris, ut certam in progreſſione formam & ſpeciem tuerentur, ſapientiæ ſtudioſis, ut ſymbola haberent & notas, quibus animi ſenſa depingerent. Hinc ſcitè, ut ſolet, feſtiviſſimus Poetarum;

Turbabis verſus, nec litera tota volabit,
Unam perdideris ſi Palamedis avem.

Jam verò Ægyptii, quorum antiquiſsima ſecundùm Phœnices laus fuit & inventio doctrinarum, cum inter ambagioſas notas, literas nempe ſuas, noctuam leonis capiti impoſitam referrent, quid niſi ſummam inter literas & arma conjunctionem adumbrarunt? Ab Ægyptiorum ſententia non abluſere Lacedæmonii, qui prælia ìnituri Muſis litabant, doctiſſimaſque Jovis filias non imbelles & deſides reputabant, ſed firmiſsimi vigoris conciliatrices, & auſpices victoriarum. Quod expreſſiore etiam imagine apud Romanos veteres fuit publico monumento conſignatum, cum Fulvius Nobilior novem Camœnarum ſigna ænea elegantiſsimi operis, ex Ambracienſi oppido in Urbem tranſlata, prope Herculis clavigeri ſimulacrum conſecravit. Poſtremò eas Artes amiciſsimas eſſe luculentiſsimo te-

ſtimonio ſancivit Antiquitas, quæ Minervam literarum præſidem Deam haſta & ægide armatam exhibuit, qualem Homerus non interfuiſſe ſolùm Trojano meminit bello, ſed Martem ipſum, ſecum congredi auſum, graviter vulneraſſe.

His ita cognitis, non priùs ad ea, quę hanc cauſam impensè illuſtrant, mihi video eſſe feſtinandum, quàm gemina ad progrediendum offendicula è via ſubmoveam, quæ in quibuſdam inſidiis poſita ipſo in limine offendit oratio. Ex iis, quæ humanos animos à literario labore deterrent, ſi quando immaniſſimi bellorum turbines extremas calamitates portendunt, duo potiſſimùm recenſentur. Et primò quidem Principum curæ à tutela patrocinioque præſtantium ingeniorum ad Principatum ſeu propugnandum ab hoſtibus, ſeu ambitiosè proferendum converſæ. Equidem non ita animatus ſum, ut non maximum rei literariæ momentum putem erecta in literatos Principum ſtudia. Ut enim quantæcumque demum molis navigia, licet velis, funibus, remigio inſtructa, tacente vento, minimùm provehuntur; ita niſi Eteſiæ quædam regii favoris aſpirent, irritâ operâ ſapientes viri in ampliſſimum illum & imper-

permeabilem diſciplinarum oceanum totos explicant ſinus. Refert quippe quàm maximè, ut ſunt Hiſtorici Romani verba, in quæ cujuſque virtus tempora inciderit; neque ullum tam ſublime, tam promptum ingenium eſt, ut ſtatim poſſit emergere, niſi illi Principum liberalitas ad Sapientiæ ſtadium percurrendum aurea ſubdat calcaria. At enimverò ſi in eos Principes intueri velimus, qui magnitudine rerum in bellis geſtarum humanum faſtigium excedere viſi ſunt, omnes propemodum deprehendimus in eo vel maximam gloriam ſtatuiſſe, ut literatorum hominum ſtudioſiſſimi viderentur. Certè Africanus ille Scipio, cujus in armis felicitas ſupra omnem votorum audaciam patriam exornavit; exterorum invidiam inflammavit, Panætium Philoſophum, Polybium Hiſtoricum, Lucilium Poetam non modò ſummis honoribus affecit, ſed indiſcretos lateri ſuo ſocios adeſſe voluit, quòcumque arma verteret; ratus non ſatis ſplendeſcere victorias ſuas, niſi eas eruditarum artium egregius ille comitatus irradiaret. Ennium verò Poetam uſque adeo officioſiſſimè coluit, ut, quod religioſiſſimum inter mortales eſt, eundem ſepulchro etiam ſuo communicare voluerit; tunc de-

mum arbitratus ſe proſpexiſſe perennitati gloriæ ſuæ, ſi, permiſtis Ducis eximii & præclariſſimi Vatis exuviis, utriuſque viciſſim laureæ laureis, cineribus cineres miſcerentur. Quid de Alexandro dicam, qui, quo tempore bellum Thebanis fecit, victoris militis avaritiæ permiſſa Urbe, Pindari Vatis domum ſervari juſſit; qui Homeri Iliada gemmato ſcriniolo, aut, cum decumberet, pulvillo ſubjectam pretioſiùs cuſtodivit; qui beatiorem ſe Ariſtotele Magiſtro, quàm terrarum orbis imperio prædicavit? Quid de Demetrio Poliorcete, qui Rhodiis pèpercit, ne incendio Protogenis tabulam aboleret? Prętermitto hic de Auguſto & Trajano dicere, qui aliis ex aliis bellorum expeditionibus impeditiſſimo principatu, ſuſcepto literatorum patrocinio, obnixiùs laborare viſi ſunt, ut Romani ingenii fines extenderent, quàm imperii. Nulla ſanè Severo Cæſari par oratio poterit inveniri, qui, cum gladium in Ulpianum Juriſconſultum ab hoſte directum objectu imperatoriæ veſtis intercepiſſet, nullos gemmarum ornatus ſe tanti facere jactabat, quàm ſpecioſum illud tam honeſtâ causâ laceræ chlamydis dehoneſtamentum. O vocem Principis, memorię literiſque mandandam! ſingu-

gu-

gularem etiam dicerem, niſi ejus ſententiæ laudem Severus cum Antonino Pio & Alfonſo Rege communem habuiſſet; quorum prior malle ſe ajebat unum ſervare bonum & ſapientem civem, quàm innumeros hoſtes vincere; poſterior longè ſibi optabilius fore Regnis, quę poſſideret, quàm amore erga literas & eruditos viros exui, etiam Sacramenti religione interpoſita confirmabat. Sed nullo optatiùs tempore ſapientes viri bonæque artes omnia votorum vela effuderunt, quàm cum Leo Mediceus, magni illius Laurentii literarum Patroni filius, ſummum auguſtiſſimumque Sacerdotium obtinuit. Tunc etenim honeſtis artibus edito quodam quaſi ſigno bene ſperandi, tanta continuò facta eſt hominum eruditorum acceſſio, tanta vis pręcellentium ingeniorum in gremium generoſi Pontificis advolavit, ut natura pręfeſtinaſſe edere partus ſuos, & temporum viciſſitudines antevertiſſe videretur, unaque in ætate collocaſſe ingenia, quæ in multa ſæcula diſſeminanda paraverat. Intendebat Principis liberalitatem iniquitas temporum. Nam & ejus imperium perturbatæ in Italia res excepere; & in cervicibus erat Gallicum bellum, quod Julius eidem quaſi teſtamento legave-

rat. Diem poſſem dicendo eximere, ſi innumeros adjicerem Principes, qui licet multis alendis ſuſtinendiſque bellis implicatiſſimi, nihil tamen in fortuna ſua majus habuerunt, quàm ut poſſent, nihil ſpecioſius, quàm ut vellent præſtantibus ingeniis benefacere, ea demum ſe maximè poſſidere arbitrantes, quę ſapientibus erogaſſent. Quamobrem nihil veritati propius pronunciatum à Platone crediderim, quàm Principes Oeconomos eſſe Sapientum. Tunc certè felicitate ſua digniſſimi ſunt, cum eo nomine dicuntur ipſi felices, quo Felix nuncupatur Arabia; de qua illuſtre illud eſt Plinii teſtimonium: Nobis ſervit Arabia, & tamen ipſa felix dicitur. Ut enim odores alii habent, alii ſentiunt; ita optimi quique Principes inſignia nomenque regium ipſi poſſident; in cives virtute ſpectabiles conferunt commoda Principatus. Multò hoc ſanè honeſtius & glorioſius, quàm cum planis, mimis, morionibus, & paraſitis regnorum opes dividere; hoc eſt, ſcire perdere maximos cenſus, donare neſcire.

Alterum bellica ætate oppoſitum literatis viris obſtaculum depoſcunt ſibi paupertatis incommoda, quæ direptiones domorum, agrorum vaſtationes, mulctarum irrogationes, im-

immenſamque auri in militiæ uſus profuſionem ſubſequi neceſſe eſt; & quorum aſperitate retardati eruditorum animi ægrè ad Sapientię juga correptant. Id enim ſibi vulgus perſuadere ſolet, ut, quemadmodum ranæ in Locrēſi agro amœniſſimo dulciſſimè canunt, quæ translatę ultra fluvium in Rhęgino ſilent; ita exculta doctrinis ingenia, niſi opes largiter ſuppetant, & imperturbata quædam vitæ ſerenitas invitet, ad nullam præclaram cogitationem poſſint aſſurgere. Præterquam enim quod ad tuendam ornandamque opinionem, quam eruditiſſimus quiſque in literis ſuſtinet, mirè conferunt honeſtis laboribus honores & pretia conſtituta; certè rei familiaris anguſtiæ, trepidatio, pavor, anxietas, ita mentis aciem obnubilant, ut nihil cogitatè meditari poſſit, nedum invigilare curis, quæ ad propagandam ſæculi gloriam, literarumque dignitatem aſſerendam pertineant. Exclamare hic liceat mihi; Proh ſanctam, & priſcam fidem! Veſtram nempe fidem interpello, veſtrum adjuro genium, doctiſſimi viri, quorum vetuſtiſſimum inventum Philoſophia perhibetur, qui Paupertatem, nutricem honeſtarum artium, parentem Sapientiæ, bonæ mentis vernaculam & contubernalem ſuaviſſi-

viſſimam nominaſtis. Non eos profectò vos honeſtiſſima ſapientis appellatione dignos putaſtis, quos rerum ſatietas capit, quos vitæ mollitudo & teneritas enervat, magiſque inopiam, quàm improbitatem fateri pudet. Non eos ad illa ſacra & adyta evocaſtis, qui per omnes mundi plagas diffundunt inſatiabilem animum, qui ad omnem rauduſculi lucrique ſpem avaras proras obvertunt, tunc verò pulchrè & beatè ſibi eſſe ducentes, cum intra ſua rura milvii fatigantur, agrique modus ne Villicis quidem ſatis notus putatur. Imò verò nihil turpius, nihil inſanius reputarunt veteres illi, quàm quod divitiarum invitamentis adhinnirent, qui ad beatè vivendum ſatis præſidii haberent in ſapientiæ opibus; qui theſaurus non ab India ſubvehitur, ſed intus in ipſo natus cælatuſque homine, multa temporis prolixitate, multa aſſiduitate laboris eruitur, ab iis ſolùm feliciter comparandus, qui animi bona terreſtribus purgamentis, vilique portiunculâ ſplendentis luti potiora habent. Non inſtitui hoc loco recenſere Biantem, qui ex opibus incenſæ patriæ nihil, quod aliò aſportandi labore dignum eſſet, exiſtimavit; non ex ſeverà & vultuoſa Stoicorum familia Zenonem, qui opibus nau-

fra-

fragio amiſſis, ad Sapientiæ portum ſe compulſum gloriabatur; non Cratem, demerſis ſponte divitiis in ſublime enatantem; non Diogenem, qui felicitatem ſuam circumferebat in dolio; non Cleanthem, qui, cum ad chartas coemendas pecunia non ſuppeteret, Zenonis præceptiones in mortuorum oſſibus excipiebat; non demum omnibus Perſarum gazis clariorem, fictilem Epicteti lucernulam, quam ob ſummi viri apud omnes exiſtimationem tribus drachmarum millibus væniſſe, author eſt Lucianus. Illud ſanè palam eſt, noſtros Peripateticos, qui pecunias aliquas ad vitæ uſus non faſtidiunt, earum tamen amorem, non immenſo auctu exundantem ad pompam inanem & odioſam, ſed mediocritate definitum voluiſſe. Infeſto prorſus animo nobiſcum egiſſet natura, ſi qui fortunam, blandam animorum conciliatriculam, in bonis non numerat, ad nullam rem illuſtriorem ſatis ornatus poſſet accedere. Non computat cenſus Sapientia, animos eligit; & dedignata quos auri fulgor ad omnem procacitatis licentiam obcæcavit, iis amantiſſimè ſui copiam facit, quos adversùs voluptatum illecebras inconniventes offendit, ideoque digniſſimos, quibus ſe natura & Cæli arcana denudent.

Id

Id maximè conſonum veritati eſſe, teſtimonio ſunt Sacerdotes Ægyptii, quos primos mortalium Aſtrologiæ rerumque cæleſtium ſtudioſiſſimos ſuſpexit Antiquitas. Hi, ut purgatioribus animis ſiderum contemplationi vacarent, in campeſtribus atque compaſcuis, viliſſima olerum eſitantes, more pecudum victitabant, complicatiles ſuas domos ductilibus plauſtris circumferentes, nimis infirmum adversùs ventorum turbines, & inclementiam aeris munimentum. Exempla Præſtitum Ægyptiorum ſequutus Plato divinus, cum Rempublicam & Platonopolim illam ſuam ad optimi regiminis normam ſedula ratione conſtitueret, legibuſque ſepiret, nihil impenſiori ſtudio proſpexit, quàm ne divitiarum illicia in illam videretur accerſere. Nam & à mari Urbem ſuam longè ſubmovit præciſo vitiorum commercio, quæ in maritima oppida cum advectis peregrè mercibus non tam induci ſolent, quàm irrumpere. Cives verò ut ad omnia frugalitatis exempla morigeros haberet, omnia in commune conferre juſſit, quæque vitæ ratio poſceret, parcè ſumere frugaliterque de medio. Eam certè conſtat ejuſmodi auſteritatē diſciplinæ fuiſſe, ut cum Plotinus Ægyptius ſemirutam in Campania Urbem,

bem, inſtitutis Platonicis adminiſtrandam, à Galieno Cæſare poſtulaſſet, cum illa ſua votorum importunitate longè faceſſere juſſus, non ſine palmari ludibrio fuerit omniumque irriſione rejectus. Quo in loco ſubſiſtere paulum, atque in tranſcurſu demirari licet, Platonicos homines, qui optimi ex Philoſophis haberentur, ne dirutum quidem oppidum obtinere potuiſſe, cum Chriſtiana Religio, quæ multò aſperiora ſuaderet, in omnes terrarum plagas latiſſimo imperio potiretur. Quid enim Platonis leges ad Romualdi, Brunonis, Benedicti, Franciſci inſtitutiones, quæ vim infinitam Mortalium à patriæ & propinquorum complexu ad invios ſilvoſoſque ſaltus, à divitiarum affluentia ad extremam rerum inopiam perduxerunt? Tam latum patuit eſſe diſcrimen inter ſapientiam, quam illi è Cælo delapſam hauſerunt animis, & evanidam alteram, quæ ſe in raucis Sophiſtarum exedris robuſtè & anxiè venditabat.

Jam verò, ut, à digreſſione, quam Religioni debui, repetatur oratio, quæ ſuperiùs collocavi, ſatis ut opinor evincunt, non gravatè humili ruinoſoque ſub tecto habitare ſapientiam, quemadmodum vili aſperaque ſub concha prænobiles margaritas. Sed delicatiùs

agam

agam cum ſæculo, in quo, excuſſa illa veterum ſeveritate, faciliùs eſt reperire qui vituperet fortunæ bona, quàm qui faſtidiat. Deſierunt feliciſſima illa tempora, cum fatum literatorum ad magnam gloriam, non ad magnam opulentitatem ſpectabat. Ego verò etſi multis maximiſque Principum documentis liquidò poſſem oſtendere, inter bellorum æſtus, non modò nihil ad vitæ ſubſidium defuiſſe præclaris ingeniis, ſed quæ ad jucundiſſimum alendum otium expeti poſſunt, commoda redundaſſe, tamen, ne ſingula inani pompa percurram, ab eximia Alexandri Regis liberalitate abundè locuples exemplum, & omnium inſtar, accerſam. Nemini video dubium eſſe, invictiſſimum illum Macedonum Ducem, cum de univerſa Græcia ſub jugum mittenda, de adipiſcendo Perſarum Regno, de ipſis Indis bello laceſſendis cogitaret, eam pecuniarum copiam profudiſſe, quæ Picorum montes, qui aurei eſſe feruntur, æquaret. Cogitate tot militum ſtipendia, tot expertiſſimorum Ducum Honoraria, veſtes, arma, cibaria, commeatus, qui ex tam acris diuturnique belli uſu eſſe poſſent. Quos, obſecro vos, quantoſque ſumptus iſtiuſmodi paratui providendo expletos fuiſſe arbitramini? Accipite autem

autem rem memoratu incredibilem. Quo tempore munificentiſſimus Imperator tam gravis belli onus ſuſtinebat, nihilo ſe minùs impendioſum præſtabat unius Ariſtotelis otio alendo, ut de omnigenorum animalium Hiſtoria eruditiſſimos commentarios lucubraret. Dum victricium armorum terrore latiſſimè in hoſtes didito, ſtrenuè Macedones fortiterque rem gererent; dum Lyſimachus, Seleucus, Perdiccas, Clitus, Hephæſtion ſummis viribus in acie dimicarent, Ariſtoteles in ſumma non modò ſecuritate, verùm etiam rerum copia tranſigit Mercuriales dies. Dum illi laborum, ſitis, inediæ ſanguiniſque pretium, disjunctiſſimas ſubigunt nationes; hic ab omnibus operoſiſſimæ molitionis præſidiis inſtructiſſimus, doctiſſima volumina ad ſeram poſteritatem victura tranſmittit. Dum illi anguſtis Macedoniæ finibus Perſicũ adſtruunt Regnum, in exiguas poſt Ducis obitum partes, tanquam latronis cadaver, miſerrimè diſcerpendum; hic eas divinæ prope mentis merces extrudit, eas opes colligit, quæ gloriæ ſuæ futurarum ætatum admirationem invidiamque concilient. Quæ cum ita ſint, deſinant delicatuli iſti literarum cultores bellicæ ætatis anguſtias & inopiam criminari. Sic

etenim

etenim univerſum hunc locum breviter preſſeque conficio. Vel opportunam ſtudiis ſuis rerum egeſtatem, vel iniquam eſſe conſtituunt. Si opportunam; cur tantopere eâ causâ bellicam artem incuſant? Si iniquam; bono eos animo, & ab ea cura metuque vacuos eſſe jubeo, quos publicarum calamitatum expertes ipſa præſtat, quam profitentur, Sapientiæ reverentia.

Ex his verò ſcopulis poſtquam emerſit oratio, lęvigato jam veluti itinere, nihil eſt promptius, quàm ut oſtendam, non modò commercium inter arma & literas, ſed ſummam quandam conjunctionem & neceſſitudinem intercedere; juvari literatorum quietem defenſione Martis, eorum ingeniis Martis virtutem acui; nullique faciliùs arbori inſeri ſurculum, quàm bellico ſudore & ſanguine irrigatas lauros pallentibus ederis frontium eruditarum. Neque illuc decurram, ut quæram, leviorine reprehenſione arma, quàm literę negligantur; aut utra ex iis artibus alteri pulchritudine ſua & pretio palmam præripiat, nihil ambigens, civitati ex utraque arte miſtæ ac temperatæ integram domi foriſque gloriam contingere; eamque optimæ Reipublicæ imaginem eſſe pulcherrimam, quæ alterâ manu minacem

nacem gladium adſtringat, alterâ concordiæ paciſque aram comprehendat, in certam ſui perniciem itura, ſi utriuſque diſciplinæ nexus ille deficiat. Quapropter non falsò & inaniter à Cicerone eſt dictum, milites pacis causâ bellum gerere, & laborem ſpe otii ſuſtentare. Populum certè Romanum omnium infeliciſſimum futurum fuiſſe crediderim, niſi depoſita veteri duritie, armorum ſtudiis pacis artes junxiſſet. His atque talibus omiſſis, illud meo jure contendam, nihil magis è re bellica eſſe, quàm auxiliares copias virorum ſapientiâ illuſtrium. Eſt certè omnium opinione & conſenſu veriſſimum, militarem artem adminiſtram eſſe Juſtitiæ. Neque enim, ut ajebat Ageſilaus, armis indigeremus, ſi procul à vi ambituque, quæ ſunt peſtes civitatum, omnes æquitatem colerent, cujus dumtaxat tuendæ gratiâ Reges ſupra cæteros mortales imperium obtinere probè dixit Herodotus. Multis hinc certiſque experimentis palam fuit, ſumma cæteroqui virtute pollentibus viris ſæpius defuiſſe ârtem, qua cives regerent, quàm qua de hoſtibus triumpharent. Et id quidem veris juſtiſſimiſque de cauſis. Vires etenim armis & machinis, externis adminiculis, adjuvantur; civica negotia mens ſolùm & conſi-

lium explicat. Quocirca Ariſtoteles non æſtimator ſolùm acerrimus, ſed egregius Magiſter optimæ inſtituendæ Civitatis, meritò vitio vertit Lacedæmoniis,quòd unicè de armis ſoliciti, neglectâque curâ literarum, externâ magis gloriâ valeſcerent, quàm domeſtica pace felices eſſent. Ea planè fuit in ſedandis diſſidioſæ plebis tumultibus, efferatiſque animis componendis probatiſſimorum hominum vis & eloquentia, ut in confeſſum veniat, non tam foſſarum, & projectorum aggerum ſepimento,non tam firmiſſimis turribus & propugnaculis, quàm legibus, æquitate,conſilio,Urbes muniri. Replicate memoriâ acerbiſſima illa tēpora, cum plebs Romana armis & dulciſſimâ libertatis illecebrâ ferox, à Patribus ſegregata,adMontem ſacrum,ad Aventinum, ad Janiculum, munita loca, ſecederet; cum perditiſſimi homines, concordiæ & pacis hoſtes, ac ſeditionum ventilatores, ira, cupiditate, licentia mobiles animos inflammarent; cum vulgus Euripi more agitatum, ac tenuiſſimo ſibilo auraque commotum, ad odium, iracundiam, & publicum exitium exardeſceret; quæ tanta vis, obſecro vos, concitatos animos mitigavit, enſes, & jacula de manibus furioſæ plebis extorſit?Curiæ amplitu-

plitudo, optimatum dignitas, Senatus authoritas eviluiſſet, niſi licentioſam plebem ad ſaniora conſilia flexiſſet ſapientiſsimorum civium gravis & plena dignitatis oratio. Menenii Agrippæ, Valerii, Popilii eloquentia præſtitit, ut exaſperatæ multitudinis vecordes animi contererentur, & ad priſtinam cum Patribus concordiam gratiamque redirent. Quid hìc Marcum Catonem commemorem, cum in Senatu Romano de Catilina & Sociis deliberante, mitem & diſſolutam Caji Cæſaris ſententiam de conjuratorum pœna diluit atque rejecit? Quid Tullium Conſulem prædicem, cujus facundiæ præſtantia improbiſſimos cives, Cethegos, Lentulos, Clodios compeſcuit, eorumque audaciam atque temeritatem, non niſi Reipublicæ excidio exaturandam infregit?

At, inquies, immane quantum à militari diſciplina, quæ omnia meditatâ operâ definitèque diſponit, turbæ diſtant & infrenati motus tumultuum civicorum. Quis verò tam malignus ſit æſtimator, qui non uberiora etiã commoda in omnem bellicam tractationem à Sapientia redundare fateatur? Illa timorem diſcutit, non mortis ſolùm, quæ arma tractantibus, ut Damocli gladius, equinâ ſuſpenſus

ſetâ, ſemper impendet; ſed periculorum, quorum aſſidua jactatione agitari milites neceſſe eſt, & quorum conſuetudine pavidiſsimus quiſque quaſi peſtifera ſideratione afflatur & obrigeſcit. Illa ſedato virilique animo ſuſtinendos docet adverſorum caſuum aſſultus impetuſque fortunæ, cujus vis omnis ad animi conſtantiam veluti ad cautes alliſa frangitur. Illa ut res præſentes ordinet, præteritos eventus conſulit, futuros prævidet; effecitque, ut qui primùm mutuarum offenſionum & injuriarum cæcus erat furor, & rudis ac nihil ab immaniſſimis belluis diſtans ſęvitia, Ars quædam & Bellum diceretur. Ea demum præcipiente didicimus inſtruere aciem, ordines diſtribuere, equites in ſuas turmas, pedites in cuneos cogere, ſtare ante ſigna, circa Aquilas conglobari, repellere hoſtem, obſiſtere, pedem referre, circuire, diſcurrere. Vis perſpicax intelligendi, mens, & rerum cognitio bella gerunt, obtinentque, ne per inconſultam ferociam, ſed humano more injuriæ arceantur, ſuuſque publicæ ultioni ſit locus. Ut enim arma ipſa, quantovis nitore oculos feriant, niſi illa lacertorum vigor attollat & evibret, iners ſunt pondus, & vel pueris deridendum, ſic omnis armorum diſciplina,

ſine

ſine luce ſapientię, ad inſtar Cyclopis adempto oculo, nutans & lapſabunda, ſui contemptum irriſionemque provocat.

Fingite animo militem procerum, lacertoſum, ſummis viribus, incredibili celeritate, validiſſimis armis inſtructum. Num elephantis robur, tigridis curſum, leonis ungues æquabit? At enim agros vaſtitati dabit, domos incendet, obvios quoſque proſternet. O præconium ſingulare! O pulcherrimam hominis laudem! quaſi verò incendia & peſtes non deterioribus etiam damnis inſignirentur. Herculem, bellatorem acerrimum, & ſtudio publicæ utilitatis ad tollenda hominum & ferarum portenta evagantem, non tam duriſſimum clavæ robur, quàm mens & conſilium armavit, & in Deorum immortalium numerum retulit. Neque enim temere à Latinorum Poetarum Principe dictum cenſuerim,

.... non illum rationis egentem
Lernæus turbâ capitum circumſtetit anguis.

Cum verò ex ejus ore aureas catenas defluxiſſe antiquitas tradidit, quid niſi ſapientiſſimum Herois eloquium, mentemque cæleſti quadam doctrina refertam & ſaturatam adumbravit? Thebanum Ducem cum Milone illo

Crotoniate componite. Spectabilis in illo corporis magnitudo, ſumma nervorum firmitas, robur vel in digito validiſſimum. Sed obeſæ tardæque mentis hominem quo demum Reipublicæ uſu tam athleticè, tam pancraticè valuiſſe exiſtimatis? Bovem nudæ dexteræ ictu ferit mactatque; in humeros ſublatum eodem die totum devorat; currum citatiſſimum manu ſiſtit; arborem digitis inſertis diffindit. Apage turrim carneam, & vecors roboris oſtentum, non ex ſe, ut ait Cicero, nobilitatum, ſed lateribus & lacertis ſuis. Non igitur proceritas corporis, non membrorum ſoliditas, ſed ratio, experientia, conſilium, vera ſunt Urbium munimenta.

Profectò, niſi vehementer erro, vel maximam partem bellicæ laudis conſequuntur ſapientiſſimi Reges & experientiſſimi Senatores, qui procul ab acie & alea Ducibus ipſis militaria munia preſcribunt. Niſi forte exiſtimare velimus otiari Gubernatorem navis, quòd clavum tenens ignavè ſeſſitet in puppi, dum alii per tranſtra curſitant, malos ſcandunt, ſentinam exhauriunt. Equidem ſi Quintos Fabios, Lucios Paulos, Fabricios, Curios, Catones, cæteroſque Romanos ſenes in-

inſpicias, non ſanè cum bella ipſi gererent, ſed cum quemadmodum eſſent gerenda in ſenatu differerent, revera comperies, ampliſsimos victoriarum fructus non tam ad armatorum gladios, quàm ad illas togarum lacinias pertinuiſſe; eoſque viros longè æſtimabiliùs operæ pretium feciſſe, quàm qui aut cohortes hoſtium in acie funderent, aut ſublatis in capita ſcutis arces munitiſsimas expugnarent. Num leve quiddam ad bellicam populi Romani gloriam contuliſſe viſus eſt Appius Claudius, cum cæcus, morbiſque confectus, ſella delatus in Senatum, Patres à turpi & ignominioſa cum Pyrrho pace conglutinandâ oratione graviſsima revocavit? Num operam luſit inter militum copias præſtantiſsimus Orator Cineas, de quo ejuſdem, quem ſupra memoravi, Pyrrhi Epirotarum Regis illud extat ampliſſimum teſtimonium; plures ſe Cineæ oratione, quàm ſuis armis populos ſubegiſſe? Num modicum & exiguum Athenienſi bello momentum attulit Demoſthenes, cum longa ſplendidaque oratione eos cives efferens, qui pro patria & libertate in prælio ceciderant ad Cheronæam, non modò popularium animos tot cognatorum funeribus & orbitate dejectos erexit, ſed ut conſcriptis iterum copiis

acceptam cladem ſarcirent, acerrimis ſtimulis incitavit? Neque hìc mihi facetiſſimus ille Cynicorum Diogenes prætermittendus, qui, cum Corinthii propugnandis mœnibus ab hoſtili aggreſſione, bellicas curas inter ſe dividerent, aliique arma & lapides comportarent, alii pectora jaculis objicerent, ſummo laborioſoque conatu verſare dolium cœpit, & ludicra inanis ſubſidii imagine, ad aras focoſque tuendos ſeriò graviterque hortari ſocios, cohortem præſidiariam extimulare. Injurius videri poſſem Religioni, atque oratoris Chriſtiani partibus in hac principe gentium Civitate verba facientis deeſſe; ſi Leonis Sanctiſsimi Pontificis glorioſiſſimum facinus ſilentio tegerem, qui ferociſsimas Barbarorum copias,ex omni Septentrionis illuvie conflatas, ipſumque Regem Attilam vaſtationem Italiæ, huic verò Urbi extremum excidium minitantem, non lectiſsimo exercitu, non æneis machinis ac tormentis, ſed graviſſimæ orationis imperio abjectum ac tremebundum compulit à florentiſsimis provinciis ſumma feſtinatione recedere.

Piget me tædetque in palam expoſita cauſa humanitatem & patientiam veſtram pluribus fatigare. Quin potiùs longo verborum flexu,

omni-

omniqueomiſſa circuitione, rem ipſam apertè loquar, & militiam nulla non ſui parte claudam & excęcatam affirmem, niſi illi illuſtrium ingeniorum ſapientia facem alluceat. Illud autem eſt primùm pro re compertiſſima ſtatuendum, doctorum dumtaxat eſſe hominum de armorum juſtitia, bellique inferendi æquitate decernere. Nihil enim magis abhorret ab omni humanitate, quàm quod Porſena apud Cluſium ſuperbè impièque ſancivit, Omnia fortium virorum eſſe. Quod quidem ſi ſemel, ut ratio poſtulat, concedatur, illud eſt proximum, ut decernamus præcipuas bellicæ facultatis partes à viris doctrina præditis ſuſtineri. Ad hæc quota pars eſt diſciplinæ militaris, quàm Vegetius, Ælianus, Frontinus, Polybius, Modeſtus, aliique ſingulari doctrina viri certis pręceptionibus non definiverint, eruditiſſimis commentariis non illuſtraverint? Horum volumina lectitant peritiſſimi Duces, manuque conterunt: iis magiſtris copias explicant, aciem inſtruunt, arces obſident, hoſtem adoriuntur. Longiorem ſibi ſermonem depoſcerent veteris militiæ, & illuſtrium Imperatorum exempla, quæ, ab omnium gentium Hiſtoricis & Poetis memoriæ tradita,

vix

vix credibile dictu eſt, quantopere ad Militum ac Ducum eruditionem fructumque proficiant. Neque enim Alexandrum Macedonem ad Perſicas acies perrumpendas, ad arces munitiſſimas ſuperandas, clangores buccinarum perinde exſuſcitabant, atque ſpectatiſſima Hectoris & Achillis facinora, quæ in Homerica Iliade, mutâ quidem, ſed ignes Martemque ſpirante, Rex gloriæ ſitientiſſimus perpetuò volutabat. Quòd ſi vel ab hoſtium multitudine, vel à ſeditionibus legionum acerbior vis, & extrema rerum difficultas ingruerit, ad noſtras artes periti Duces confugiunt, & copiis ad principia convocatis, ab inſtructo ceſpite pavido vel nutanti militi adhibent hortamenta. Quam conſuetudinem ignaviâ principum intermiſſam, & à Trajano reſtitutam meritò à Plinio legimus ſummis laudibus commendatam. Iniquiſſimo certè rerum articulo Caji Ceſaris in Germania res fuiſſent, cum milites, omni præcluſo obſtructoque aditu, ab Arioviſto Duce, immenſo armatorum auctu obſeſſi, jam arma projicerent, teſtamenta obſignarent, ſupremiſque complexibus commune exitium ſolarentur, niſi pari eloquentia & fortitudine Imperator exterritos ſuorum animos & conſternatos, admira-

mirabili oratione habita, non modò ut ſperarent, ſed ut vincerent, effeciſſet.

Quæ cum ita ſe habeant, conſtetque quantaſcumque armatorum vires leves eſſe & perinfirmas, niſi mentis intelligentia ductuque Sapientiæ regantur atque firmentur, nihil eſt mirum, Agamemnonem Ilio expugnando, non Ajacis aut Achillis, ſed Neſtoris decem ſimiles optaviſſe. Verè & ſapienter eâdem causâ Plato viros doctrina & conſilio præſtantes, Paſtores Civitatum, Milites verò, earum ſecuritati excubantes canes appellavit. Hoc nimirum eſt illud, quod callidiſſimi Duces, ut militiæ compendium facerent, ſe omni ope collata Sapientiæ ſtudiis dediderunt. Hinc Phociones illi, Themiſtocles, Alcibiades, non tam bellicæ facultatis ornamenta, quàm lumina doctrinarum. Hinc P. Scipio, is qui Carthaginem & Numantiam delevit, armorum gloriam eloquentiâ cumulavit. Hinc Cajus ille Cæſar, qui ita literas coluit, ut illum nunquam arma tractaſſe diceres; tamdiu tantaque virtute egit ſub caſſide & pellibus, ut aſſeverare poſſes, nunquam literas didiciſſe. Fruſtra verò omnes percenſere inſtituo: vos, quos conſultò prætereo, tacita cogitatione ſupplete.

Po-

Poſtremò quod rationum momentis oſtendere ſum aggreſſus, ipſa temporum ſeries certiſsimis evincit experimentis. Non ſatis ſcio, avaritiane potiùs an liberalitate naturæ factum fuerit, ut ſicut Geographis ſæpe locorum, ita Chronologis quædam occurrant temporum ſolitudines. Quemadmodum enim ad plurimas ætates condecorandas omnium bonarum artium ornamenta confluxerunt, ita ſordeſcere alias deprehēdas nulla bellica laude, nulla Sapientiæ luce conſpicuas. Profectò cum Themiſtocles, Miltiades, Leonidæ, Philippi, Alexandri, tam excelſo in faſtigio Græcorum Imperium inaudita armorum felicitate collocarunt, per eadem tempora tanquam ex condicto prodiere ſapientiſsimi illi mortalium Socrates, Platones, Demoſthenes, Ariſtoteles, qui armatam Græcorum Palladem ſupra Palladis literatæ laudes efferri paſſi non ſunt. Romæ verò à diſertiſsimis Oratoribus, à graviſsimis Senatoribus nunquam acriùs judiciis in foro, ſuffragiis in Curia, ſententiis in Senatu pugnatum eſt, quàm cum diuturna & difficillima bella cùm Reipublicæ hoſtibus capeſſerentur. Cum autem barbaræ Nationes ab extremi Septētrionis latibulis ad nobiliſsimas Europæ Provincias ferro flam-

miſque

miſque obterendas proruperunt, quemadmodum non illa belli facies, nec ad certas Militiæ leges caſtigata vis armorum fuit,ſed effrenatarum quædam excurſionum licentia, ſævitia, crudelitas, ita in publicas Academias atque Lycea ruditas ac veluti rubigo quædam ingeniorum irrepſit. Revireſcentibus ſubinde Martis ſtudiis, conjunctim mirus quidam literarum ardor excitatus eſt; donec ad Franciſci Galliarum Regis, & Caroli Quinti Cæſaris tempora eſt deventum, quibus arma certatim & literariæ artes ad invidiam futurarum ætatum,ſingulari gloriâ,inuſitatâ affluentiâ enituerunt.Nullum facilè optatius gratiuſque Catholicæ Religioni ſpectaculum eſt exhibitum, quàm cum Carolus quidem invictiſſimis armis, pluribuſque victoriis quàm ſtipendiis aſſueto milite, Hæreſeos Lutheranæ virus debilitandum atque extinguendum curaret; ſapientiſſimi verò Præſules, Tridenti Pontificia authoritate coacti, teterrimos illos errores & ſacrilegam impietatem cęleſtis doctrinę luce diſſiparent,jaculiſque confoderent.

Quibus ita ſtabilitis atque perſpectis, nihil eſt cauſæ, quamobrem parentes vix è faſciis evolutos liberos maturent in Hippodromum, & Palæſtram mittere; imò verò, quod olim

Spar-

Spartanæ mulieres factitabant, in duros patrum clypeos vix ortos excipiant. Jactare deſinant, in deſidioſis,ut ajunt, literarum Athenæis extingui ſcintillas præclaræ indolis, ac puerorum animos ad otium & ſocordiam publicis ſumptibus enervari; tanquam obtentu degeneris gloriæ alant inibi delicatam inertiam, odiumque palmarum. Vos autem, qui in Gregoriano hoc honeſtarum artium Domicilio in uſum publicæ felicitatis adoleſcitis, ornatiſſimi Juvenes, dum ex majorum inſtituto in nobiliſsima hac Purpuratorum Patrũ Præſulumque corona literarii curriculi auſpicia capimus, ſtudiiſque fortunandis feliciter fauſtèque dicimus, nullam officii veſtri partem deſerite, omnique alacritate ad ſummam in literis comparandam gloriam animum adjungite. Illud autem ſeriò memineritis,non modò ad vitæ laudem & patriæ præſidium, ſed ad ipſius bellicæ artis firmiſsimum adjumentum,in his literarum ſtudiis conditionem vobis lautiſſimam obtigiſſe.

ORA-

ORATIO V.

De ineffabili humanæ ſalutis reparatæ Myſterio.

INter tot tamque diverſa diſciplinarum ſtudia, quibus ad nonnullam nominis celebritatem humana proficiunt ingenia, nemo abſolutè plenèque comparavit, perpauci vel leviter didicerunt pulcherrimam atque omnium præſtantiſſimam artem degenerandi nobilitèr. Illud potiùs, nulla intermiſsa diligentiæ parte, ſolent homines proſpicere, ne à dignitatis gradu, &, quam ſuſtinent, opinione potentiæ vel minimùm deficere videantur. Inde mos ille Principum vetuſtiſſimus invaluit, ut omni commercio cum obſcurioris vitę hominum con-

conditione ſibi penitus interpuncto, vel horum tractationes tanquam è ſpecula quadam ſuperbè deſpiciant, vel earum ignorantiam, in intimis abditi ædium regiarum receſſibus, affectent. Et quidem ille Regiæ nitor, ſceptra, paludamenta, aulicorum obſequia, Prætorianorum excubiæ, & ſuperciliosa majeſtas addita cuſtos imperio, quo demum evadunt, niſi ut his artibus Reges ſe à vulgari hominum quaſi concretione ſecernant? Fato tamen ſuperbiæ, ut aſſolet, parum felici; cum debilem ſe infirmamque illa ipſa faſtigii ſui tutela teſtetur; & tunc maximè mortalem ſapiat, cum judicio ſuo deſiit eſſe mortalis. Nimirum ipſa quæ regnis addimus fulcimenta, regna ponunt in lubrico, & non magnæ potentiæ indicium eſt, magna cautela. Verum faceſſite, quotquot in Regnorum cuſtodiam excubatis, vani timores. Defuerit qui ſplendidè à ſanguine ſuo homo deſciverit: habemus hodie nobiliter exinanitum Deum. Puriſſimo Nazareæ Virginis ſinu ac Sãctuario exceptus, noſtræ mortalitatis teſſerâ obſignatur, nobiliſſimus planè in noſtræ obſcuritate naturæ, & Divinitate ſua digniſſimus, quia mortalis. In laqueos carceris, quem circumferimus, ultro ſe induit, demiſſione ſua noſtri generis

aſſe-

aſſerens nobilitatem; ratus nihil optimũ Principem à bono patre differre, & ſpecioſiùs eſſe delicta,quibus ad immẽſam colluviem obruebamur,non punire magis velle, quàm tollere.

Et ego quidem non aliam magis ob cauſam arduum inprimis eſſe hominibus reor, degenerare nobiliter, quòd mortalis omnis dignitas, quantâvis demum amplitudine ambitionis noſtræ modulo reputetur, anguſta ſemper, exilis, & perexigua inveniatur. Cum verò noſtram honorum & gloriæſitim cæleſtis animorum origo inexplebilem præſtet, hominum vota ſemper hiantia, nunquam exhauſta, vehementer torqueri neceſſe eſt. Hinc anxius illis degenerandi timor: quòd paveant, ne iter in ſublimia conſtitutum tranſvertant in præceps, & turpiter in vulgi decidant ſordes, cum ſe vel ſupra humanam conditionem efferre contendant. At verò qui ſummum potentiæ obtinet locum, ſecurus magnitudinis ſuæ, cum dignitate deprimitur: palmam æmulatus, quæ poſtquam altiſſimas ſibi in aere conſtitutas attigit metas, emeritam deprimit frontem, ſibique arcum ipſa triunphalem demiſſis ſpontè ramis fingit formatque. Non ſecus Solem non pudet Phoſphorum ſequi, ſidus vulgare:nec de-

dignatur Oceanus fluviorum auxilia, quamvis non profutura. Non ita poteſtas mortalium undique circumſcripta; quæ ſolicito faſtu ſumma expetit; agiturque in ſublime non tam præſtantià naturæ, quàm metu. Fulmen imitatur, quod quaſi vallium commercio fœderetur, ſolos Alpium apices dignatur irâ ſuâ. Hinc, niſi admodum fallor, liquidò pateat, facilè Deum, ſi velit, ſe nobiliter demittere, hominem vix unquam poſſe. Detrahit nempe laudem degeneranti homini faſtigii, quod non eſt conſecutus, opinio: tutò Altiſſimus glorioſèque deſcendit.

Literis mandatum accepimus, florentiſſimis Lacedæmoniorum copiis occidione deletis, Demetrium quendam, cui felicior ad fugam metus, quàm ad pugnandum audacia fuerat, prægeſtienti animo ac prope jactabundo, parenti ſuæ, quæ pridem actum de filio reputaverat, obviam proceſſiſſe. Matre eminus viſa, Adſum, inquit, mater; habes filium ab atrociſſima Spartanorum clade, Diis bene juvantibus, fugâ ſublapſum. Simul incitato quo ferebatur impetu in parentis gremium advolabat. Sub hæc Spartana mulier, amore, quo primùm ſenſu naturæ tacito incaluerat, in indignationem converſo, Apage,

in-

inquit, infelices amplexus atque turpiſſimos. Ubi hoſtium ſpolia? Ubi arma direpta? oſtende vulnera, explica cicatrices, deprome clypeum, quocum debueras victor ad matrem, aut certè in quo ſplendidè contumulatus accedere. Ideone te infantem amne glaciatò demerſum ad duritiem condocefecerim; ideone te pugilatu curſuque ad Eurotam erudierim ad virtutem, ut robur tibi ad pugnandum atque vincendum deeſſet, non deeſſet ad fugam? Audeſne etiam fronte illa, quam nec dedecus acceptum demiſit, nec inuſta generi tuo nota contraxit, me parentem, te filium dicere? Spartanum ego genui; Spartanum ad bellum miſi: tu ad me Mileſius neſciò quis, aut Corinthiacus rediiſti. Video ſpeciem aliquam vultumque filii; indolem, ingenium, inſtitutionem non video. Confoſſa in acie tot millia reliquiſti; quorum ſi minus virtutis ſocius, debueras eſſe fortunæ. Elatiores animos geris, quia viliſſimum ſpiritum retines; tanquam viceris, quia evaſiſti. Evaſiſti hoſtium manus; non effugies genitricis. Subduxiſti te prælio; nulla te à matris indignatione fuga ſervabit. Inter hęc arreptum virili dextera pugionem in filii pectus impreſſit: Fœmina gloriæ magis, quàm ſanguini obnoxia, & in

exemplum parum humanæ ſeveritatis apud poſteros abitura, niſi facti invidiam ferox nationis ingenium, & diſciplina immitior elevaſſet. Videtis, Auditores, quanta extremi ſupplicii acerbitate degeneres Spartanos vel matres multaverint. At non Pater divinus quidquam ſuæ officere credidit majeſtati, ſi cariſſimum ſibi ejuſdemque naturæ Filium in terras mitteret, ut innumera ſubiret dedecora, ut ignominioſam cum graſſatoribus mortem oppeteret. Ipſe verò ſalutis noſtræ & libertatis aſſertor Filius non infra dignitatem ſuam exiſtimavit, viliſſimæ in ſe plebis odium concitare, ſcurrilia ſcenici Regis inſignia ſumere, tanquam Hebraicæ gentis dedecus, tanquam humani generis labes & opprobramentum, publicis dementiæ ſtultitiæque teſtimoniis deſignari. Equidem ſi Apelles Venerem ſuam, aut Protogenes ſuum illum Hialyſum cœno oblitum, & inſcitiſſimæ plebis manibus diſcerptum cerneret, quantâ affectus mœſtitiâ ſuam quiſque tabulam de imperitæ turbæ manibus extorqueret? quanta percitus indignatione ad expetendam vindictam incenderetur? Quid enim? tanto ſtudio elaboratas effigies, ac divina prope artis miracula impunè contemni? Ad illam nunc non

fluxis

fluxis ruditer adumbratam coloribus, ſed nulla non ex parte ad vivum expreſſam divini Patris Imaginem cogitationes convertite. Illius os conſpui, cadi faciem, membra proſcindi ſuſtinet Pater; ſuique veram germanamque Imaginem fœdiſſimè conſpurcari ſibi ipſe in ſinu gaudet; Filio ex animo gratulatur. Nempe illum ſplendidè abjectum, honeſtiſſimè commaculatum, magnificè irriſum, & ſumma quadam nobilitate opprobriis, ut Jeremiæ ſunt verba, ſaturatum videt.

Rex Perſarum fortiſſimus, venationis ſtudio in campeſtria loca progreſſus, fortè incidit in agricolam, qui anhelante & ſuſpirioſo pectore terram ſenio gravior excolens lento ligone glebas ægrè moliebatur. Itaque laborioſo fatiſcentis ſenis niſu permotus, ex equo deſiliens, propiùſque ad villicum accedens, Diſcede, inquit, ò foſſor, & cura ut quieſcas: moleſtè ne feras mecum graviſſimum laborem partiri. Et jam ligone regias manus impleverat, prægeſtiente ad chlamydatum agricolam ſolo, & tantùm non ſe in ſulcos ultro aperiente. Conſiliarius aderat Regi proximus; utque ſtudia ſua anxiè Principibus probatum ire mos aulicorum habet, Memento, inquit, Regem te, non Ruſticum natum eſſe:

ſimul in dextram involat probroſè degenerem, expunctoque è manibus ſarculo, Principem è glebis redemptum reſtituit imperio. Verùm enimvero tunc Dei Filius rerum omnium imperio & ſuæ fuit Divinitatis vel maximè memor, cum ſe in noſtræ vitæ ſocietatem, humanæque ſervitutis conditionem demiſit. Involucro noſtræ mortalitatis obtegitur, ut in illo poſſimus ipſi grandeſcere; & pene nullam in eo gloriam poſuit, quòd eſſet ipſe maximus, niſi nos, qui naturâ deſpicabiles, ſcelere perduelles eſſemus, maximos faceret; quaſi non magis ſine ipſo nos eſſe felices, quàm ipſe ſine nobis poſſet.

Apud Heſiodum legimus, Amorem in obſcuriſſima perturbatarum rerum nocte, quæ Chaos dicebatur, fuiſſe progenitum. Divinus nobis Amor inter illas exoritur tenebras, quas impendiò prolixas denſaſque in univerſæ poſteritatis faciem primorum Parentum culpa projecit. Thales, ab effuſis aquarum ſpatiis rerum initia repetens, Amorem ſub Iridis forma demiſſum, nimiùm quantùm ad rem noſtram appoſitè docuit. Ut enim Iris ſupremâ curvaturâ Cælum, porrectis deorſum brachiis terram contingit; ſic Amor cæleſtis divinæ humanæque natu-

tu-

turæ nexu, verè ſummis ima conciliat. Licet ſuſpicari eòdem Platonem ſpectaſſe, cum tradidit, Amorem Poro & Peniâ, opulentiſſimo ſcilicet patre, ſed matre egentiſſima procreatum. Quid enim noſtræ ſpolio mortalitatis aut miſerum magis aut imbecillum, quo tamen obvolvere ſe illum non puduit, cujus ærarium Divinitas eſt, ærarii cuſtos Æternitas? Adeſte, quotquot tenuioris fortunæ tædium proſternit, quotquot ventoſus phaleratæ ambitionis æſtus inflammat. Non Diogenem illum vobis propono, in ipſo fortunarum contemptu ambitioſum, ſed integerrimum rerum æſtimatorem, Dei Filium, qui non, ut Socrates, ſtultiſſimi oraculi voce habitus eſt omnium ſapientiſsimus, ſed ipſa eſt rerum Arbitra, veræque felicitatis conciliatrix & parens Sapientia. Non ille, ut quoſdam Cynicæ gentis Philoſophos feciſſe legimus, ipſo divitiarum honorumque odio ad alendam ſuperbiam abutitur; ſed ipſa ludibria illuſtrat, ſordes exornat, ſubmiſsiones extollit; nunquam ſublimitate ſua dignior, quàm cum obteritur, nunquam magis nobilitatis ſuæ compos & retinens, quàm cum ignominioſè ab impudentiſsimis turbis illuditur.

Græcia Deos, quorum prodiga genitrix, imò verò ſomniatrix fuit, ſæpius peregrinos in terras deduxit, quaſi parum beatos Cælo ſuo. Uſque adeo illos ſui nectaris ſatietas cœpit, ut privatas hominum cœnulas quærerent, quò noſtro ſe mero latiùs proluerent. Longa terrarum ſpatia erratici & deſultorii conficiebant, ut, quemadmodum de Socrate Tullius memorat, obſonarent ambulando famem. Paſtores alii armenta ſequebantur: alii cementarii extruendis urbium mœnibus humeros locabant: aliis ferrariæ officinæ fuligine obſitis cum carbone & follibus erat negotium. Pudet me multa, quæ ſuppetunt, deteriora pertexere. Ejuſmodi Deos commenta eſt Græcia, ut ſine hominum commercio miſeri eſſent: ejuſmodi Hominem Fides & Religio nobis oſtendunt, qui à Divinitatis conſortio nulla ſit ſui parte disjunctus. Uſque adeo ibi Deum eſſe miſerum erat; uſque adeo hic naſci hominem glorioſum. Immenſa hæc noſtri generis incrementa, hæc decora, vel ſupernis illis cæleſtium Aulicorum mentibus invidenda, Deo ſalutis noſtræ Authori optimo in terras devocato debemus. Ex altiſsimo ille Cęli faſtigio terrarum infima dignatus, ita priſtinæ nos ampli-

plitudini reſtituit, ut in ipſo calamitatum noſtrarum complexu dignitatem ſuam nulla parte imminutam oſtenderet, ac tueretur.

Siquis in mare influentium fluviorum curſum diligenter inquirat, ſuccenſeat fortaſſe naturæ, quæ in editiſsimis natos montibus, degeneri lapſu ad humilia percurrenda loca damnaverit. Parvi refert, inter Alpium & Apennini cautes progigni, ſi ignobili per imas valles decurſu excelſæ originis laudes deprimunt, & gloriam omnem jugi natalis obſcurant. Nihil tamen fas eſt eo nomine de naturæ iniquitate & injuria conqueri. Defluunt quidem amnes, & à ſua plurimum ſublimitate deficiunt, ſed novo tunc aquarum acceſſu grandeſcunt. Dum ad ima vergunt, majores fiunt; reverentiam extorquent, dum inclinantur; dum proni delabuntur, tributa torrentium excipiunt, agrorum fines inundant, lapideos pontes amoliuntur, in mare demum ſe exonerant minabundi. Ad hanc ferme imaginem humana Deus carne circumdatus in abjectiſsima noſtri generis ſorte ſpectabilior effulſit: hoc amnium naturæ diſpar; quòd hi minimum aquarum in nativis montium fontibus, incre-

crementa ſua omnia in progreſſu habent; ille nobilitavit quidem mirùm in modum vitæ mortalis curſum; ſed integrum divinorum decorum quaſi alveum habuit in ipſo cæleſti fonte ſempiternæ felicitatis. Nulla illuſtriori pompa cupidiùs olim Roma explevit oculos, quàm cum Lucius Quintius Cincinnatus, ab aratro ad dictaturam vocatus, Æquis ſub jugum actis, innumera hoſtium ſpolia reportavit. Sed cum eidem triumphi honor publicè eſſet delatus, ille, quòd gloriam ſuam videret in tuto, non longum ferculorum ordinem hoſticis oneravit manubiis, non captivos oſtendit Duces, non direpta explicavit vexilla, ſed inopi ſimplicique cultu triumphum egit. Alii de hoſtibus ſplendidè triumpharunt in Capitolio; Cincinnatus parſimoniâ ſuâ de Capitolio triumphavit. Non aliter profectò Deus, clarior, quia obſcuritate noſtra obductus, potentior, quia noſtra tectus infirmitate, primùm mortales docuit, Regiam, purpuras, famulatus, non eſſe individuas Regni pediſſequas, ſed imbecillioris potentiæ ſolatia, & ancillas ſuperbiæ ſtipendiarias. Quamvis non tàm in calamitates noſtras abiit Deus, quàm nos ille magnitudine ſua communicavit. Solem vi-

viſus eſt, quem condidit, imitari: qui craſſis ac fęculentis terræ vaporibus in nubem coactis, quadam lucis fœtura, ſe ipſum in illa congeminat, adeo non diſsimilem ſibi, ut in Sole geminato Solem quæras, nec invenias; tuâque ipſe ignorantiâ gaudeas, errore quàm veritate jucundiùs delecteris. Nubes illi, ſed ſine labe, & pura luce concreta, ſinus Deiparæ Virginis illibatus fuit. In illam inexhauſta transfudit æraria lucis ſuæ. In illa, qui nullo Cæli ambitu circumdatur, noſtræ ſarcinam mortalitatis ſubit. Inde ſi ubertim nobis cæleſtium munerum affluentia progerminat, novimus gemini benignitatem ſideris; novimus unde tam ampla redundet exuberetque fœcunditas. Suſpiciamus fauſtiſsimam humano generi Numinis ſe demittentis excelſitatem; cujus exemplo nos etiam, multis culparum vaporibus & caligine coagmentatę nubes, immigrare ſperamus in Soles, & à nativarum ſordium humilitate nobiliter degenerare.

ORA-

ORATIO VI.

DE

SANCTI SPIRITUS

ADVENTU.

Habita in Sacello Pontificio

AD

INNOCENTIUM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM.

A Seminarii Romani Convictore.

AD

AD

INNOCENTIUM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM.

INCENDIUM divini Spiritus ſalutare in cujus ſinu aut digniùs recipiatur quàm Pontificis, aut uberiùs æſtuet quàm Innocentii? *Quemad-*

admodum enim diverſa corporis membra unus omnia permeans vegetat regitque ſpiritus, & ad ſua obeunda munera occultè ſed acriter excitat, eoque eadem deſtituta ſuapte gravitate jacent inertia; non aliter myſticum Eccleſiæ corpus, omnium gentium conſpiratione nexuque coagmentatum, ſempiterno fœdere conſiſtit, igne hoc cæleſti divinitus afflante, quo Vaticani Moderatores affluenter hauſto, quæ ad integerrimos mores, quæ ad illibatam doctrinam pertinent, certò cognoſcunt, ſanctè docent, juſtè decernunt. Hæc adeo ſit cauſa, ut perpetuus Sacerdotii Principatus Cælo, non virtute tantùm, ſed etiam gloria & felicitate ſit proximus. Nullis equidem machinis armiſque à Tartareo ve-

veteratore ceſſatum eſt, quin muni-tiſſimam hanc arcem aut inteſtinis diſcordiis diloricaret, aut extero-rum hoſtium oppugnatione labefa-ctatam erueret. Sed immites illi ad unius Petræ validiſſimum propu-gnaculum toties alliſi fluctus quid demum profecerunt, niſi ut vel ejuſ-dem conſtantiam atque firmitatem intenderent, vel inani conatu, non inani cum gemitu frangerentur? Quid opus eſt multis? Non excuſſo ſatis terrore, florentiſſimis Europæ regnis impendentis exitii memini-mus, cum innumeræ Turcarum co-piæ, commeatu, omnique bellica ſu-pellectile inſtructiſſimæ, ad Viennæ campos conſiderent. Neque verò in illis Auſtriæ campis de Germania ſolùm, ſed de Europa univerſa, de

Oc-

Occidentis Imperio Bizantinis Faſcibus adjungendo, de hoc præſertim Religionis domicilio omnibus exertis viribus convellendo agebatur. Non iniquus fuerim ejus belli æſtimator, nec expertiſſimis adeo Ducibus, aut militum fortiſſimorum virtuti injuriam irrogaverim, ſi palam profitear, ad illa propugnanda mœnia, ad munitiones illas aſſerendas, immenſum quoddam robur attuliſſe, non dicam profuſiſſimas auri largitiones, quibus procul dubio periculoſiſſimum bellum, Pontifex Maxime, aluiſti, non conſilia atque dexteritatem, qua potentiſſimos Reges ſacro fœdere & armorum ſocietati illigaſti, ſed illas ex auguſtiſſima fronte jugiter defluentes lacrimas Tuas, quibus Chriſtiana de-

bet

bet Reſpublica, ne clades caſuſque ſuos æternùm lugeat; & quarum vitali rore perfectum eſt, ut depoſitæ afflictæq; Europæ ſpes ad novam palmarum meſſem iterum revireſcerent. Earum præſtitit vis ſumma & efficacitas lacrimarum, ut ſupra ducenta armatorum millia non alio conſilio Viennam procurriſſe viderentur, quàm ut egregiè communitæ Urbis teſtes fierent; de more nobilium virorum, quos ad externas Provincias luſtrandas excire ſolet ardor noſcendi ea, quæ à propriis finibus abeſſe natura voluiſſet. Quid autem Urbis regiæ ſplendidiſſimæque teſtes dico, qui turpiter & dedecoroſè fugâ ſublapſi, ſpectatores fuerunt cladium ſuarum; quibus iterum iterumque ad Barchamum,

ad Savum, ad Portas ferreas acceptis, miſerandum in modum pœnas inconſultæ temeritatis, & violati fœderis perſolverunt. Video, B. P., me liberiori egreſſu ad lætiſſimorum eventuũ auram abreptum. Sed publica felicitas, Te Auſpice, in immenſum aucta, non ſinit ſupplicem Oratorem quemadmodum in lætitia, ſic in Epiſtola tueri modum. Idcirco omiſſa reliquarum, quæ Te Deo proximum verè pronunciant, virtutum commemoratione, demiſſis precibus oro Te & obteſtor, ut ne gravere Tuo inſcripptum prodire nomini leviſſimum hoc orationis meæ de Sancti Spiritus Adventu munuſculum. Solabitur illa obſcuritatem ſuam & Ignis divini ſplendore, quod eidem contigit

ar-

argumentum, & ampliſſima Tui nominis luce, quod illi eſt optatiſſimum patrocinium.

ORATIO.

CUM genus humanum, Homine Deo improbiſſimis graſſatoribus poſthabito, omni genere cruciatuum fœdè proſciſſo, ac demum ex infelici arbore duriſſimis clavis ſuſpenſo, flammas fulminum expectaret, ultionem habuit amantiſſimo Numini conſentaneam, flammas Amoris. Cenſor ille morum nihil pulchrius noverit Principe impunè læſo; ſpecioſius quiddam miramur hodie in ſupremo Principum, ulciſcente ſe beneficiis. Rapidiſſimi vis incendii, è patria Cęli ſede dilapſi, non miſerrimo involutam perdit excidio cœnoſa vitiorum colluvie obſitam terram, ſed antiquis expiatam ſordibus ad lętiſſimam virtutum ſegetem illuſtrat ac vegetat; populos verò Conditori ſuo rebelles atque degeneres, ignea-

rum

rum eloquio hortatuque linguarum, ad opulentiſſimum cęleſtis Regiæ evocat patrimonium. Qui ad claros divini Reparatoris radios & apertiſſima prodigia ita caligaverant, ut haberent oculos & non viderent, hodie non ſanè, quod ab ipſis erat meritiſſimo jure pertimeſcendum, ſempiternæ noctis ſqualori & carceri addicuntur; ſed juxta Iſaiæ pręſagium: (*a*) *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis*. O vindictam amabilem! ò animadverſionem dulciſſimam divinæ adversùs ſibi infenſiſſimos ultionis! At, inquies, factus ille repente de Cęlo ſonus, illa violenti turbinis aſpiratio, & ſuccuſſa Cœnaculi moles quandam etiam indignationis ſpeciem ingerunt atque terroris. Imò verò ad ſummi amoris teſtificationem nihil minaci illo comitatu aut expreſſius aut accomodatius fuiſſe exiſtimaverim.

Non ita ad votum feliciterque res humanę fluebant, ut à Deo niſi graviter læſo amaremur. Quid autem prævius ille naturæ exhorreſcentis fragor effecit, niſi ut liqueret, ab eo nos amari, qui vindicem ſeveriſſimum ſeſe præbere, & graviſſimas à nobis pœnas tam facilè

(*a*) *Iſai. 9.2.*

cilè poſſet repetere? Ad procellæ ingruentis impreſſionem agitatus aer infremuit, & ſubita concuſſione terra cum Apoſtolorum animis ſubſultavit, ut ſpecie illa intentatæ formidinis meminerimus, quid mereremur; ſecuturo Amoris illapſu noſceremus, quàm placabili Principi ſubderemur, pluris æſtimaturi amoris beneficia, quæ ſciremus à læſo Numine proficiſci. Quota enim noſtræ felicitatis & gloriæ pars eſt, intelligere amari nos etiam ingratos? Summus ille atque in ſuo verè faſtigio poſitus amor eſt, qui tunc vim ſuam omnem profundit & explicat, cum te oſtenderit immerentem: nos ſecus atque acerbiſſimè eos conſtat iraſci, qui dum pœnas exigunt ab ingratis, numerant beneficia, & diuturnæ fructus exprobrant liberalitatis. Supremam proinde amori ſuo manum Deus impoſuit, cum illo fragore non feliciter perculit. Profectò dimidium beneficii perdidiſſemus, niſi ita nos terruiſſet. Quamobrem iterato concentu totiſque fidibus regius ille Cantor affirmet: (b) *Oſtendiſti populo tuo dura*: dummodo dulciſſimam illam cauſam adjiciat; *Ut liberentur electi tui*. Atque iterum alibi ſi exclamantem audis; (c) *Quam ter-*

(b) *Pſal. 59. 6.* (c) *Pſal. 65. 3.*

terribilia ſunt opera tua, *Domine*: audi ſtatim ſuaviſſimè deſinentem; *Ibi lętabimur in ipſo*.

Neque verò minùs in argumentum dignitatis divinæ commotionem illam exortam putaverim. Nam qui amoris ſui tam luculentam erat ſignificationem palam exhibiturus, idem ille erat Deus magnus, terribilis, excelſus, ſacrorum voluminum teſtimoniis appellatus. Conſtare in oculis omnium debuit, rerum ordinem univerſum egreſſui amantis Numinis famulari, & in tanto ſui conditoris ad famulos ſuos diſceſſu totam è ſuis ſedibus par erat commoveri naturam. An quia perfidiâ etiam duritiâque multorum oportebat intelligi, Amorem, qui deſcenderet, fortem eſſe & armatum? Tamen obſequia potiùs duxerim elementorum, quæ ſi turbinibus & fragore obſæviunt, ſcias aliter obſequi elementa non poſſe. Non aliter in primo orbis exortu cùm ſuper aquas incederet idem hic Spiritus, in undarum agitatione & fremitu experiebatur, quam in igne erat editurus largitatem amoris. Cum progignere cogitaret hominem, ſatis illi fuit miſcere aquas; cum hodie jacentem erigit, debilitatum confirmat, perditum reſtituit, flamma-

 rum

rum æſtu validiùs obſtrepit. Tunc de brevi hoſpitio, an exilio?, homini comparando erat ſolicitus; hodie obſtructum eidem priùs aditum patefacit ad patriam regnumque nunquam interituræ felicitatis.

Præterea ſonoro illo comitatu rationibus noſtris commodiſque peramanter Deus voluit eſſe conſultum. Profundiùs enim torpueramus, quàm ut excitari ſibilo tenuis auræ poſſemus. Ut lethalis illius veterni laqueis extricaremur, ſtrepere elementa omnia oportebat; nec afflari ſat erat, excuti debebamus. Ad eum quippe modum, quo audiendi ſenſu carere dicuntur, qui domos habent ad prçruptos illos montes, è quibus ſe immani cum jactatione & ſonitu Nilus exonerat, quæ Catadupa incolæ nominant; ita pravis caducarum rerum cupiditatibus circa hominum corda ſtridentibus hebetati eorum animi ad Cęli voces obſurduerant. Sopor ille morboſus & exitialis non ventulum leviter ſpirantem, ſed totam divini Spiritus vehementiam depoſcebat. Idcirco (d) *intonuit de Cęlo Dominus, dedit Altiſſimus vocem ſuam*, qua victus eſt ſtupor ille, ille diſſolutus rigor, qui ad virtutum veræque laudis iter capeſſendum

(d) *Pſal.* 17. 14.

dum torpentium animorum impetus retardabat.

Ipſius etiam naturæ documento didicimus, iras elementorum nobis non modò viſu jucundas, ſed uſu etiam quandoque contingere quæſtuoſas. Tonitrua certè, & aerem proſcindentes ſagittæ, quæ præſentiſſimam perniciem præſagire nautis videntur, non ſemel in opulentiſſimos cedunt eorum proventus, dum impetus procellarum conchylia paſſim excludit, & verè pretioſas iras ambitioſi fluctus exercent. Itaque in ſcopulos ejecti gratulantur ſibi dulce infortunium naufragii ſui; dumque attonitos gemmarum copia circumfluit, cunctantur credere, ſe eſſe felices. Ad hanc ſpeciem Spiritus divini approperantis murmur, non uniones, quibus maris ejectamentis noſtra ſolùm cupiditas pretium attribuit, ſed Cęlum nobis aperit, eaſque commonſtrat opes, quas nulla temporis atteret injuria, nulla Hæredum decoquet prodigentia. Poſtremò quis ulterius ad Cęli minas atque terrores inutiliter palleat, quos Amor divinus aut in ſuam clientelam acceptos amabiles reddidit, aut conſumpſit? Ita, ut nos ſemper amaret, ſemel eſt viſus iraſci. Debuimus aliquando formidare

dare

dare vindiƈtam, ut pax noſtra perennaret. Pars felicitatis eſt, aliquantulum miſereſcere.

ORA-

ORATIO VII.

D E

SANCTI SPIRITUS

ADVENTU

Habita in Sacello Pontificio

A D

INNOCENTIUM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

A Seminarii Romani Convictore.

AD

Digitized by Google

AD

INNOCENTIUM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM.

C*OMMODE meis hodie votis, B.P. Divini Spiritus ardor illuxit; ut ad Te, qui Cælo es proximus, confidentiùs accederem eo*

Du-

Duce, qui cum ſupra multiplicis Cæli orbes eſſet, ad infima terrarum ſummâ ſe benignitate demiſit. Præter enim quàm quòd in publica commoda peccare largiter videri poſſim, ſi ex tam celſo majeſtatis faſtigio ad obſcuros meæ vagientis eloquentiæ partus humaniter excipiendos te devocem, adimit etiam animos muneris exiguitas. Quamvis nihil eſſe tam exiguum ſentio, quod repente non fiat maximum, cum eſſe incipit Tuum. Quo etiam genere laudis, ſupremi Conditoris, cujus vicariam in terris obtines poteſtatem, ſuaviſſimum ingenium exprimis, qui brevem & exilem ad ſuas aras flagrantis faculæ lucem non deſpicit, licet ad ejuſdem gloriæ magnitudinem ſignificandam ampliſſima

Solis

Solis fax ſemper circumferatur & ardeat. Video non hujus eſſe loci laudationem contexere earum virtutum, quibus Religionem amplificas, Sæculum exornas, bonas artes, Subditorum ſecuritatem, felicitatem publicam acerrimè provehis. Quid enim ſublevandæ egenorum inopiæ à Te prætermiſſum ſuſpicari poſſunt exteræ gentes, quæ eoſdem à Te in proprias Ædes Lateranenſes, tanquam veros Eccleſiæ theſauros, magnificè benignèque receptos celebrare non déſinunt? Nobiliſſimis Pietati ſedibus conſtitutis, ut Juſtitia non impari ſplendore Urbem coleret, animum adjunxiſti. Excitatum in Monte Citatorio majeſtatis pleniſſimum Domicilium, ut cauſæ forenſes, Urbani Magiſtratus, publicæ-

que

que fidei tabulæ conjunctim in unas Ædes cogerentur, quod rem judiciariam tractantibus ad temporis & itinerum compendium mirè conducit, Romanæ verò Curiæ incredibilem addit ornatum, ordinem, dignitatem. Quid hic referam advectarum peregre mercium nitidiſſimas apothecas, Telonariis verò & Publicanis erecta elegantiſsimi operis Ædificia? Quid referam amplificatos ærarii proventus, & gloriam Principatus inſignitè auctam, inſtaurato, aquiſque ſaluberrimis & copioſis ditato portu Centumcellano; Antii vero veteris ſinu novis munitionibus firmoque aggere exædificato, ad tutiorem navium receptum, Urbiſque ſecuritatem? Sed licet ad ſpeciem fortaſſe minùs, ad

ſo-

ſolidam tamen ſacerdotalis imperii laudem magnopere faciunt illa; ſanctiſsimis legibus aſſerta judiciorum integritas inteſtinis Chriſtianorum Principum diſcordiis dirimendis, ſumma dexteritate vis conſiliorum & ſuprema Paſtoris authoritas interpoſita à ſacro Romanæ Curiæ Præſulum ordine expunctæ venalitiæ dignitates, inductâ per anguſtias rei nummariæ conſuetudine, reſciſsâ penitus & antiquatâ. Sed in iis numerandis fruſtra ſim, qui nullum in Tuarum commemoratione laudum finem inveniam, quemadmodum pietas Tua & magnificentia nullum proponi ſibi patitur finem de omnibus perquam amplè prolixèque merendi. Id verò eſt, benignè & liberaliter ex Te

in omnes ordines redundare ſupernorum munerum copiam, quorum hodie divinus diſpenſator Spiritus optatiſsimo terras incendio complet & occupat. Ejuſdem igne cæleſtem Tuum animum tam feliciter ſupra alios æſtuare percipimus, quàm Tu aliis omnibus, virtutum exemplis, & altiſsimi in terris loci ſplendore præluces. Hoc ipſe alacriùs in ſpem venio, ut, quæ Tua eſt, magnitudinis ſuæ undique ſecura, facilitas, orationem hanc meam Tui Nominis luce perfundas, & me aram patrocinii Tui tenentem clementer tuearis.

ORA-

ORATIO.

Cum olim ſuperfuſæ terris aquæ, tanquam rerum creatarum excidium ſitirent, non agrorum modò compleſſent latitudinem, ſed altiſſimorum montium apices adæquaſſent, ipſa demirante natura, unde tam properè nova eruperint maria; deferbuit demum cum Dei vindicis indignatione juſtiſſima impetus imbrium; & ſua naturæ facies, ſua elementis temperies, ſuus eſt quaſi redivivæ rerum univerſitati reſtitutus color. Verùm, ut ſunt poſtea ſemper meticuloſi, qui miſeri ſemel fuerunt, vix aquarum priore illo diſcuſſo metu, cœpere homines de igne eſſe ſoliciti, & ad omnem ætherei accenſi vaporis coruſcationem, quaſi ad publici interitus argumentum & ſpecimen, expaveſcere. Quid enim non

voraciſſimæ è Cælo decidentes flammæ pervaſtent, quibus longè acrior ad vim inferendam efficientia, intractabile porrò ingenium, infrenis ſævitia, & quę conſilia omnia & effugia antevertit, præceps & immoderata celeritas. Augeſcebat timor non unis experimentis è Cælo delapſi ignis, quo non modò falſos divinatores, rebelles Deo populos, atque ipſos interdum Iſraelitas adverſumMoiſem prę-fractè & contumaciter inſurgentes, ſed integras in Palæſtina civitates, libidinum flammis priùs perditas, conſtabat eſſe ſubverſas. Poſtremò,cum ſubterraneos flammarum globos, ex quorundam montium faſtigiis evolutos, in immenſam ſcirent ſævitiam debacchatos, quantum præ ſe vaſtitatis & cladium acturi eſſent dejecti cælitus imbres flammarum, taciti ſecum & pavidi mortales reputabant. Quod moleſtiſſimus fuit ac diuturnus populorum timor, nobis eſt hodie, B. P. lætiſſimus in paucis dies. Adamantina illa clauſtra triumphator ignis effregit; ſubjecta terrarum ſpatia flammarum pluvia complevit, obruit, inundavit. Quid autem illo tamdiu formidato actum incendio? O liberaliter illuſam expectationem noſtram! Damna quidem omnia ad hoſtes Tartareos benigniſſimus

mus avertit Deus; nobis lucidiſſimæ faces, ut olim fideli populo Columnæ igneæ jubar, vitæ ſunt mortalis duces, metæ indices immortalis: imò potius, ut Eliæ, ſanctiſſimo Vati, currus adornant, quibus opulenter ac ſplendidè ad cæleſtem patriam remigremus.

Quæ duo eſſe ſolent ſalutaris pluviæ beneficia, primum quidem, ut ſordes depellat, alterum, ut inducat fœcunditatem, eadem nobis divini Spiritus flammeus imber exhibuit. Exhibuit autem copioſè ſanctèque, non avarè & ſceleſtè, quod Græci fabularum artifices de Prometheo prodiderunt, qui ad luteum, quod effinxerat, hominis ſimulacrum conſolidandum, è Solis curru improbè nefarièque ignem detraxit, quo nimirum craſſæ fœcis admiſtionem elueret, limumque inertem & ignavè ponderoſum, ad vitæ fructus & mentis opera evocaret. Ad miſerrimam exactorum temporum conditionem cogitationes reflectite, cum latiſſimè victrix Superſtitio Regum cervices procaci pede protereret; cum fœdiſſimarum religionum venenis imbutos torqueret animos; cum receptis ubique aris templiſque, ſæviſſimam exultabunda tyrannidem propagaret. Sed quæ ego nimis inſcitè templa, quas aras appello? quæ nimi-

rum eò contaminatiora eſſent, quò magis auro gemmiſque ſplendeſcerent; eò deteſtanda magis atque ſacrilega, quò majorem præ ſe ſpeciem ferrent impiæ execrandæque pietatis. Oderat Arabia fertilitatem ſuam, dum ſui thuris innoxiam ſegetem impuriſſimis altaribus adoleret: ſuas India incuſabat opes, quas infamium Deorum fanis illuminandis exornandiſque perderet: liberales verò ingenuæque artes in mœſtiſſima erant ægritudine & luctu, cum turpiſſimorum Numinum vultus, aut coloribus illuſtrare, aut ære, marmore, ebore incidere compellerentur. Quàm depravatam & lutulentam apud homines vitæ conſuetudinem fuiſſe ſtatuam, ubi cæleſtia illa Numina infra belluarum mores abjiciebantur? Quidquamne adeo ſanctum fuiſſe exiſtimem, quod non communis exitii lues, & omnium vitiorum illuvies cœnoſa corrumperet? Quidquamne ita purum & integrum, quod non libidinis rabies diſſoluta pollueret? ita ſolidum & confirmatum, quod non in præceps incitatus ardor abriperet? Moderatine quidquam aut ſobrii expectandum ab illa, nullo poſt obitum ſuppliciorum metu repreſsâ, nulla aut Deorum immortalium reverentiâ, aut refugientis naturæ ſenſu & horro-

horrore coercitâ corruptelâ, crudelitate, licentiâ? Inter tot pravarum cupiditatum euripos, inter tot æſtus vitæ, omnium ſcelerum inquinamentis obſtrictæ, qui poſtremus eſt profligatæ ſalutis & rerum nuncius perditarum, lethalis quidam ſtupor inceſſebat animos, quo efficiebatur, ut ne cogitare quidem miſeris ſatis eſſet integrum, ut benè agerent. Hinc ſacrorum Vatum veriſſimæ illę voces erant, digniſſimi illi ex imo pectore cum gemitu erumpebant queſtus. (a) *Repleta eſt terra iniquitate. Omnis caro corruperat viam ſuam.* Et iterum alibi: *corrupti ſunt,* (b) *& abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Ad contagioſam hanc, & in immenſam perniciem permanantem labem penitus abolendam, illa eſt ex adaperto amantiſſimi Reparatoris latere effuſa pluvia, illi ex manibus pedibuſque ſanctiſſimis ferro terebratis ſanguinis fluxerunt amnes, qui terras omnium vitiorum cœno coinquinatas beatiùs irrigando abſtergerent, quàm quatuor olim egreſſa flumina ex amœniſſimo primævi parentis domicilio. Sed quoniam, humani generis reluctante nequitia, plerique aquæ vivæ fonte rejecto lutoſas ſibi

(a) *Geneſ. 6.* (b) *Pſal. 13.*

(c) ciſternas effoderunt,ad extrema, ut in præcipiti morbo, remedia, ad ignem decurſum eſt. Salutari flammarum pluvia renovata eſt facies terræ; utque ejus vaſtitas in vineam (d) electam, in hortum concluſum, imo verò in Cælum commutaretur, abſumptum eſt quidquid aut malignis venenorum ſuccis vegetabatur ad mortem, aut ſterili frondium luxuria herbeſcebat ad pompam. Ad opimam laudatiſſimorum operum frugem animorum eſt emollita durities; flexus ad cæleſtis diſciplinam ſapientiæ errorum rigor; ad virtutum uberem profluentem ſoluta inveteratæ glacies pravitatis. Ea cæleſti incendii luce actum eſt cum omnibus terrarum tractibus, quod experimento didicerunt, qui ſub utroque polo in ſphæra, ut vocant, parallela aſſiduis involuti tenebris dimidiatum tranſigunt annum; quorum editiſſima loca ubi primùm reducis Solis radiis feriuntur, ubi ædificiis cum luce color, agris ſilviſque redditur cum calore fertilitas, non ſecus exiliunt ad jucundiſſimum planetæ remeantis jubar, & ad ejuſdem ſplendore renidentis terræ aſpectum lætiſſimum, quàm ſi de informis carceris umbra & ſqualore ad ſpirabilem liberioris Cæli auram, de

(c) *Jerem.* 2. (d) *Pſalm.* 123.

de obſcuriſsimi horroribus tumuli educti videantur ad vitam. Graviſsimo terra tanquam exempto pondere reſpiravit, cum cæleſtium flammarum ultrices ſagittæ innumera mendacium Deorum ſimulacra, delubra omnium metallorum pretio, omnis gemmiferi maris exuviis & rapinis collocupletata diruerunt. Quàm gratum ruinâ ſuâ dedere ſonitum profanæ illæ tumidâ ubique fronte aſſurgentium ædificiorum moles; quarum onere infeſtiſſimo, non ut olim, Theſſalicis ſuperjectis montibus, adverſus Superos homines præliabantur, ſed vaniſsima Numina gravius quàm terram, quæ ea ſuſtinebat, populorum animos, qui ſtultiſſimis illa fatigabant precibus, opprimebant. Quantus ubique gentium incredibilis lætitiæ ſublatus eſt clamor & plauſus, cum peſtiferam errorum Hydram, cui vaſtiſſimus terrarum mariumq; ambitus pro Lerna erat, non Thebanus Hercules, ſed ſuo cæleſtis Spiritus igne proſtravit; & avernali mendaciorum Architecto ad inferorum ergaſtula retruſo, candido velatam peplo ſpectandam omnibus amplectendamque explicuit veritatem.

Superſtitione latè domita, pronum fuit Igni victori improbitatem elidere, ſcelera expellere, mores hominum vitamque componere.

Non

Non mentibus ſolùm Religio, etiam cordibus imperat; & veſtigia præcedentis Veri non ſegniter Honeſtum ſubſequitur. Pugnacis flammæ luce perſtricta vitia, dum præcipiti fuga contendunt ne vincantur, ſplendidiùs victa ſunt. Appoſitè nimirum divino Igni adminiſter adjunctus eſt ventus, ut velociter vinceret, appoſitè fragor, ut luculenter atque magnificè. Neque enim aut ex ingenio aut ex dignitate ignis eſt vincere, niſi cum celeris ſonoræque laude victoriæ. Direptam crudeli avaritia urbem Romam injectis poſtremò facibus Galli Senones ſolo æquarunt. Pro ea tamen clade gratulandum ſibi ſuccenſæ Urbi, Diiſque immortalibus maximas agendas gratias audacter affirmat Hiſtoricus. Quid enim illis actum flammis, niſi ut Paſtorum caſas & Romuli paupertatem altus cinis abſconderet, ipſa verò civitas non deleta, non obruta, ſed expiata potius videretur? Perinde mihi de Orbe terrarum, atque Hiſtorico illi de priſca Roma aſſeverare licet, à ſuperno Igne, qui hodie terras inviſit & luſtrat, non Romuli unius Urbis conditoris, ſed primi humani generis parentis paupertatem ſublevatam fuiſſe, erectam inopiam, corroboratam imbecillitatem, libertatem aſſertam, latiſſimum demum Im-

perium non modò reſtitutum, ſed ſempiterni Sacerdotii clavibus conſecratum.

Quam ob rem faceſſant ampulloſæ illæ jactationes, conticeſcant veteris Romæ inaniter magnifici laudatores, qui ejuſdem principatum ultra Garamantas & Indos & inhoſpitalem Oceanum, famam verò ad Cælum uſque canunt pertingere. Nemo eſt tam hebes ingenio, tam Hiſtoriarum rerumque humanarum rudis, qui ignoret, non modò præcipua Africæ Aſiæque Regna (ut totam Orbis Americani amplitudinem miſſam faciam) ſed plurimas eaſque maximas in Europa regiones Romanis olim, non dicam nunquam ſubactas, ſed ne nominibus quidem ſatis notas fuiſſe. Verùm poſtquam tot populorum obſequiis faſtuoſa Civitas, ſupercilio & fronte dejecta, ad hoſpitis ſui Piſcatoris pedes venerabunda procubuit; poſtquam ſe non Orbis regnatricem, ſed obſcuriſſimam vitiorum ſervam, & ambitionis ſuæ vile mancipium confeſſa eſt, ea ſcilicet demiſſione promeruit, ut in poſterum dominaretur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarū.(e) Tunc ad illius pedes non Æthiopes dumtaxat, verùm Sinenſes, Japones,

(e) *Pſalm.* 71.

nes, Peruvienſes, Mexicani, Braſilienſes, & extremi Charibes prociderunt. Tunc ejus Templa non leviter parcèque Tagus auro ſuo, ſed totis Peruvia perennium fodinarum opibus inundavit. Hæc ipſa ſanctiſſimi in terris loci majeſtas, à qua nationes omnes leges accipiunt, oracula expetunt, hauriunt diſciplinam, diſertè & luculenter enunciat ſua dignitate & nitore, quantum Romæ olim veri ſolidique honoris gloriæque defuerit. Viſa circa caput Servii Tullii lucere flamma Regnum eidem promiſerit: ſed breve illud fuit, turbulentum, anguſtum, & cum erepta ab immiſſis percuſſoribus vita deſerendum. In longè clarius decus & longinquitatem Imperii fulſerunt faces, quæ Apoſtolici Cœtus ſubjecta capita coronarunt. Ea porrò tanti tamque ſublimis Imperii laxitas & claritudo non armorum terrore, non cladium ſævitia, neque porrò aut graviſſimis mulctarum oneribus irrogatis, aut indigniſſima oppreſſarum gentium ſervitute parta eſt; ſed ejus, cujus hodie beatiſſimum illapſum recolimus, cæleſtis Spiritus diffuſione ſanctiſſima. Quòd ſi Spiritus olim ille, maria pervadens, informis naturæ faciem miro ornatu, rerumque pulcherrimarum varietate diſtinxit, poſtea

ite-

iterum aquis inſinuatus luſtralis Lavacri, quo expiati cæleſtem renovamur ad vitam, mortalium animos virtutum ornamentis inſtruere, & uberrimo ſupernorum munerum imbre irrigare non deſinit. Hinc novum Eccleſiæ Sponſæ hortum perflantes Ereſiæ, quæ præcurſu ſuo viam adventanti Spiritui muniverunt, illa ventilando excluſere pudentiſſimarum Virginum lilia, fortiſſimorum Martyrum roſas, & omnigena ſpectabiles venuſtate fructus honoris & honeſtatis. (*f*) His, cæleſtium flammarum pluviâ, ubertim aucta deliciis Sponſa meritò ad eaſdem Dilectum evocat: (*g*) *Veniat Dilectus meus in hortum ſuum.*

ORA-

(*f*) *Eccli.* 24. (*g*) *Cantic.* 5.

ORATIO VIII.

DE

SANCTI SPIRITUS

ADVENTU.

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM

A Seminarii Romani Convictore.

CLE-

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

QVOD in graviſſimo terrarum conſeſſu, B. P. fuit à me per hos dies indiſertè ruditerque explicatum, ab ea commoti vehementer aeris agitatione,

ne, quam Spiritus divinus adventus in terram ſui ſibi ſociam adſcivit, primorum Eccleſiæ Patrum animos non tam exterritos, quàm ad digna flammis illis cæleſtibus edenda facinora erectos fuiſſe, id ipſum à Te ſanctiſsimè præſtitum in ſubjectos Tibi populos, inſigni cum emolumento fructuquè ſenſimus. Tibi ſecundùm Deum debemus uni tot, poſt exactas terræ trepidationes, pietatis publicæ teſtimonia; morum diſciplinam à laxiore vita revocatam; hanc demum ipſam, quam ducimus, vitam, à tuæ per omnia probatiſſimæ exemplis minùs, ſi tantùm licet de nobis prædicare, disjunctam. Egit cum hac Urbe Tuoque populo peramanter Deus, cui, in juſtiſſimæ animadverſiònis denuncia-

ciatione, ſibi longè acceptiſsimum Moiſen adeſſe voluit, pacis conciliandæ ſequeſtrem, quique noſtros animos in irati Numinis gratiam reſtitueret. Eo factum eſt ſcilicet, ut & conſpectior Tuæ apud ſupremum Judicem gratia Tibi nos per omne tempus arctiùs manciparet, & nobis fieret cum tentatione proventus. Tu verò pro ſumma, qua celſiſsimum in terris locum exornas, humanitate feceris, ſi meam hanc, imò verò gentium omnium veriſsimæ tuæ laudis prædicationem minùs gravatè accipias, ſimulque patiare, ut orationem hanc Tuo nomini, ſummi obſequii obſidem ac teſtem, adſcribam.

ORATIO.

ILLUD fuiſſe cauſæ crediderim, B. P. cur in unum coactos Eccleſiæ Principes nulla perturbatione affecerit flammarum ex inopinato & cum fremitu ingruentium impetus, quòd illa quantacumque (*a*) demum elementorum commotio de Cælo erat. De Cælo factus repente ſonus, de Cælo diverberati aeris murmur, concuſſi Domicilii agitatio fragorque de Cælo. Cogitabant naſcentis Eccleſiæ Patres, ab illa devoluti in terras divini Spiritus vehementia ſalutarem adumbrari trepidationem Orbis univerſi, ad divini lucem eloquii, mox ab ipſis latiſſimè diſſeminandam, ubique exilientis. Cogitabant, eò ſpectare repentinum turbinem, ut liqueret longè majus

(a) *Act.* 2.

jus futurum amantis Dei beatiſſimum incendium ad ſalutem, quàm olim fuerit, adapertis aquarum cæleſtium clauſtris, indignantis impetus ad vindictam. (*b*) Quod ſi divinus ille Spiritus vim olim ſuam attemperavit (*c*) ad modum antelucani roris, aut pluviæ deſcendentis in vellus, hodie, ad latius proferenda caritatis incendia, eloquentiam robuſtiorem accerſit, quæ ſcintillantibus igne linguis inſtructa, feliciùs quàm in Pericle Græcia ſuſpexit, tonitru, & ignitis facibus peroraret. Auræ tenuis ſibilo uti ſatis fuit, cum ad ſolas Filiæ Sion aures allaberetur: (*d*) ſed ut in omnem terram ſuorum ſonus exiret, perſonare & ipſe latius debuit, adornare conſpectiorem inceſſum, ſociumque ſibi ignem adjungere, qui non citiùs proferri augerique, quàm eſſe deſinit. Neque verò vim igneam adduxit, ut populos à monte, ſuoque, ut olim, commercio abſterreret, (*e*) ſed ut congregaret diſperſionem noſtram; (*f*) ut liberaret eos, qui ſerviunt gentibus; ut contemptos abominatoſque reſpiceret. Non eſt proinde, quòd cuiquam in mentem veniat demirari, cur cæleſtis ille ſonitus non deje-

N 2 cerit

(b) *Sap.* 11. (c) *Pſal.* 71. (d) *Pſal.* 18.
(e) *Exod.* 19. (f) *Mac.* 2. 1.

cerit Cœtus lectiſſimi animos, ſed confirmaverit, non circumſpectare fugam, latebraſque ad declinandum incendium perveſtigare coegerit, ſed potiùs latentes priùs atque ſolicitos in apertam aciem proripuerit. Incluſa illa adhuc & pavitans bellatorum manus emittitur, exigua quidem numero & inermis, ſed cui rei bene gerendæ certiſſimum auſpicium faceret ſingulorum capitibus inſidens Victoria, (*g*) quæ vicit Mundum. Nihil proinde moræ interponunt, quin confeſtim Dei Verbo, omni gladio ancipiti penetrabiliore telo, (*h*) partitum Orbem terrarum ſubigantne dicam, an in filiorum Dei afferant libertatem? Bene jam ominari licet generi humano. Admonitorem habet ſonum, quo ad vitæ opera excitetur, qui turpiter obſurduerat; aſpirantem habet ardorem, qui fœdiſſimo torpore obriguerat; lucem habet ſpondentem dies æternitatis, (*i*) qui habitaverat in umbra mortis. Quod ſi Pyrrhus Epirotarum Rex inſigni præconio cohoneſtaſſe fertur Oratorem Cineam, cum ſe longè plures arces hujus eloquentiâ, quàm ſuis copiis expugnaſſe diceret; quid hæc ad illum ignearum

(g) *Joan.* 1, 5. (h) *Hebr.* 4. 12.
(i) *Pſal.* 43.

rum facundiâ linguarum diſertiſſimum (k) Spiritum Veritatis, cui certamen forte datum eſt, ut vinceret? Ite igitur bellatrices linguæ: ite flexanimæ faces, nec privatis Cœnaculi parietibus ſatis coercitæ, in remotiſſimas quaſque nationes incendium optatiſſimum propagate. Novis myſteriis initiata Ægyptus in pſalterium ſua ſiſtra commutat, divinæque præſcriptiones legis longè altiùs ſcribit in cordibus, quàm ſuos gryphos marmoreis impreſſerit obeliſcis. Ad novam Perſis exilit lucem, Perſis, inquam, illa errorum caligine invito quem colit Sole, præſepulta: nec jam planetarum principem, pharetris cum fronte demiſſis, adorabunda veneratur, ſed eum, (*l*) qui lucem inhabitat inacceſſibilem, (*m*) & qui in Sole poſuit tabernaculum ſuum. Naviculários Magiſtros demirata Grȩcia, Sapientes deſpicit ſuos. Hæc ipſa demum cunctarum gentium fulgens Hoſpitium Civitas, ubi primum cæleſti irradiata luce concaluit, ſenſit illico, ſe hactenus in ſuorum Conſulum prudentia parum ſanam fuiſſe, in Cæſarum potentia infirmam, in virtute Ducum fortiſſimorum debilem & imbecillam; tunc

N 3 verò

(K) *Sap.* 10. (l) *Timoth.* 6.
(m) *Pſal.* 18.

verò ſolùm latiſſimi in terris Imperii caput, & monumentum ineluctabile evaſiſſe, cum, faſcibus à Capitolio in Vaticanum translatis, vicariam eſt adepta Numinis poteſtatem, impertitam ſibi quidem primùm conſignatamque (*n*) in petra fortiſſima, ſed hodie divini Spiritus afflatu firmiſſimè roboratam.

ORA-

Matth. 16.

Digitized by Google

ORATIO IX.

In Die ſacra Cinerum.

SIQUIS belli & pacis artes, quibus ſuam apes rempublicàm temperant & moderantur, diligenter expendat, ſi minùs cum Quintiliano particulam illis divinæ mẽtis ineſſe aliquam, experientia certè duce & magiſtra, nullas rationis expertes animantes propiùs ad humanæ ſocietatis mores accedere judicaverit. Quæ nos diuturno labore, multoque diſciplinæ uſu comparamus, facili brevique naturæ magiſterio ſuaſuque illæ perdiſcunt; magnorumque operum non tam fiunt, quàm naſcuntur artifices. Quid verò de illis præcipuè prædicem? Laborum tolerantiam, cum in floren-

tes agros agminatim procurrunt, effuſæque vernanti ſolo, notis inſident herbis? An cum aliæ decerptos molliter ſuccos comportant ad ſocias, aliæ dulciſſimos ex illis favos ceraſque confingunt? Dicam, cellarum quaſi ædium deſcriptione Urbes imitari, accepta loca cum fide colere, illis ſe continere, non impari ac nos agimus legum ordine, certè majore concordia? Commemorem partitiones officiorum, advectas opes ad vitam ſuſtentandam in mediũ congeſtas, cibaria abditis locis repoſita ad anni ſecuritatem? An potiùs, quæ admirationem omnem fidemque ſuperant, funerum procurationes, & ad cadavera, quæ tantùm non lugentes efferunt, mœſtitiæ pompam, lugubres ejulationes, leſſum, nænias, & ſiqua ſunt triſtis deſiderii & extremi doloris imitamenta? Verùm illas ſupra omnem modum bellicæ artis ſtudium, ardor, peritia nobilitat. Habent coluntque Martem ſuum, ſemper aſperum, ſæpe ſanguineum. Stationes ad portas, in progreſſu ordinem, in acie collocationem, in prælio diſciplinam tuentur. In certas diſcretæ acies ductores Reges ſequuntur. Pro iis nullum laborem non ſuſcipiunt, nihil moleſtiarum non devorant, nullis non periculis capita objiciunt. Pugnas

ineunt,

ineunt, conglobantur, cædunt fugantque: corporum exiguitatem magnitudine odii ſupplent: glorioſa pro Regibus vulnera, mortem honeſtam putant. Eos tamen depræliantium impetus, rabioſos illos æſtus atque contentionem modici Paſtor pulveris aſperſione componit. (*a*)

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.

Ad hunc ferme modum exactis proximè diebus, quos ex veterum inſtituto, ſuo Bacchus nomine, utinam non etiam moribus licentiâque deformat, plerique parum conditionis ſuæ memores, in brevem deſipientiam, annique ſolutioris hilaritatem effuſi, per impeditos curribus, per confertos promiſcuâ hominum turbâ urbium calles, larvatis vultibus excurrebant. Eos hodie ab illo tumultu, atque intemperiis ad priſtinam moderationem mẽtiſque ſtatum revocavit inſperſus capiti cinis cum amariſſima recordatione mortalitatis. Exigui conſperſio pulveris lymphatas priùs urbes bonæ menti reſtituit; perſonam verò ab hominibus detrahit, non temporariam illam ſolùm, quam per Bacchanales geſtabant ferias, ſed

(a) *Virgil. Geor.* 4.

ſed illam aliam diuturniorem penituſque animis inſitam, quam avidiſſimum ſimulationis genus humanum ab ipſis cunis arreptam, univerſoque vitæ ſpatio uſurpatam, ne ipſa quidem morte, quod brevi ſum demonſtraturus oratione, deponit.

Ab ipſo libatæ lucis exordio amaram quidem, verùm neceſſariam juxta ac ſalutarem lacrimandi artem natura nos edocet. Subtriſti illa ſorbitiuncula nos ad tolerantiam erudit, alit ad firmitatem. Quaſi conſecuturas vitæ calamitates faſcię pręſagiant, inter obortos fletus adſtringunt nos veriùs quàm excipiunt. Hanc ſcilicet mortalitati noſtrę dotem, hoc natura patrimonium providit, lacrimas & nuditatem. In ipſo vitæ veſtibulo moneri nos oportuit, quàm ampla nos ærumnarum ſeges maneret, quàm eſſent ineundi curſus implexi calles, quàm calamitoſum in carcerem teneros inferremus pedes. Hinc excuſationem apud nonnullos & veniam invenerunt parum cæteroqui humanæ aliquorum voces, qui vitam, ut eſt apud Senecam, beneficium naturæ malignum appellarunt, & quod nemo acciperet, niſi daretur inſciis. Verùm crepundia ipſa lactentium puerorum, & gemitus ſimulatione larvati irrita faciunt naturæ conſilia.

lia. Et quoniam infirma ætas aſciſcere ſibi perſonam non poteſt, ab aliis mutuatur. Gratulabundi ſuſcipimus, quod natura materiam docuit eſſe triſtitiæ. Parentes, affines, hoſpites feſtiva circa cunas lætitiæ ſignificatione circumfremunt; riſuque intempeſtivo in ipſis infantium oculis lacrimas natalium ſocias conantur abſtergere, & prima noſtris impreſſa vultibus miſeriarum delere veſtigia. Quamvis nec defuit audacior Infans, qui larvam ſponte caperet. Zoroaſtres is fuit, Bactrianorum Rex, quem primo exortu quàm effuſiſſimo indulſiſſe riſui, fama tenuit. At enim eò magis lacrimandus ille, quod quodam ſuæ feritatis, & magicarum, quarum repertor fuit, artium augurio factum eſt, ne lacrimaret. Communis fati lacrimas rejecit, ut pateret non hominem naſci ſed monſtrum. Avaritiam illi lacrimarum ſuam ignoſcerem, niſi ſævitiâ per cæterum vitæ curſum contaminatus, prodigus luctus alieni fuiſſet.

Nec verò ſatis eſt lacrimarum curſum in prima ætate, in ipſo nimirum fonte, intercipere. Urgemus ultra infelix propoſitum ambitiosè pervertendi, quæ probè in vitæ tirocinio natura conſtituit. In nudam nudos terram nos illa projicit. Tremens & imbelle corpuſcu-

ſculum egeſtate nutrit, armat inopiâ. Accipite nunc furioſa apud Perſium nutricum matrumque vota: dijudicate, quàm craſſam, quàm impudentem ita natis larvam inducant.

. . . . . ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
Hunc optent generū Rex & Regina: Puellæ
Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic, roſa fiat.

Vah temulentiam votorum infrenatam! Quos natura nudos edidit, purpura & chlamyde involvere ſtatim cogitant: etiam Regna ſomniant improbulæ, ubi pro cenſu eſt ſola mendicitas. Oedipos, perforatis pedibus, & trajecto vimine ex arbore ſuſpenſos, ad Thebani Regni non tam ſpem quàm exitium eripimus & enutrimus. Cyros in ſaltu abdito expoſitos, ut latum in Perſide imperium condant, educamus. Martis & Iliæ filios à lupæ uberibus pendentes avellimus, ut terrarum dominam futuram Urbem ſuo alter ſanguine, alter ſuo dedicet parricidio. Invidioſum potentiæ genus, & quandam de ipſa natura victoriam interpretamur, ubi plures illa calamitates collocavit, elatiori laſcivire faſtu, & in extremis indigentiæ ſordibus jactantiùs inſole-

ſoleſcere. Equidem cum ea ſit recens exorti hominis ſpecies, ut miſeria & egeſtate non reliquas dumtaxat humanæ vitæ partes, ſed omnium animantium procreationem facilè ſuperet,obnixa in adverſum ambitio totas advocat vires, lætiſque concentibus,gratulationum officiis, domeſticorum concurſatione, ultro citroque commeantibus nunciis, ſummam mentitur in ſumma hominis infelicitate lætitiam.

Ab his initiis profecti facilè eſt intelligere, quemadmodum peregrinis rerum figmentis tantopere delectemur. Id verò eò miſeriùs contingere nequaquam eſt dubitandum, quò homines ad inquirendam veritatem unicè nati, ejus appetitione originis ſuæ nobilitatem oſtendunt, ejus indagine ſolantur tædia mortalitatis, ejuſdem adeptione felices ſunt. Ita fidem omnem excedit, idem animal & ſimulationis ſtudioſiſſimum eſſe, & avidiſſimum veritatis. Itaque infucata omnia & inſincera in pretio ſunt; nihil ingenuum, nihil ſimplex, nihil naturæ conſentaneum patimur. Non eam hìc diſſimulationem damnaverim, quam ſolertiſſimi Duces,opportunè obtegentes longè ſecus, quàm ad ſpeciem adornantur, eruptura conſilia, meritò in partem gloriæ militaris

taris trahunt. Neque porro eo nomine aut Brutum duriùs coarguam, qui, ſimulatione ſtultitiæ, patriæ libertatis aſſertorem animum occultabat; aut Metonem Athenienſem Aſtrologum, qui infelici in Siciliam expeditione comperta, ut plebis in ſe eâ causâ concitatæ odium declinaret, per aſſimulatam inſaniam incenſa domo, dimiſſus eſt. At non mores ad Principum ingenia atque adeo vitia accomodatos, & aulicam aſſentationem abſolvam. Quin eas fallacias eò Bacchanalibus perſonis deteriores exiſtimem, quò deformiùs eſt animum ſimulare, quàm frontem. Quamvis ne hoc quidem defuit, ut prona in deterius adulatio ad imitationem deformiſſimi Principis vel corpora flecteret ſubditorum. Hinc memorati annalibus cæco ſub Rege lippientes populi, & clauda Civitas Principe claudicante. Nuſquam profectò magis appoſitè, quàm Principum aulis Ægyptiorum teſſera illa præfigeretur, Perſicum pomum cum adhæreſcente folio. Ejus quippe arboris fronde, quæ linguam exprimit, fructu, qui figuram objicit cordis, probè innuebant, non eſſe ab intimo cordis ſenſu disjungendum ſermonem. Perquam rarus hodie amicos cum facetiſſimo Poetarum rogat;

Dic

Dic verum mihi, Marce, dic, amabo:
Non eſt, quod magis audiam libenter.

O ſanctiſſimum amicitiæ nomen, abjectum turpiter, ſacrilegè violatum! Amicis perinde ac ſimiis utimur, quæ cum nec ſubvectare poſſint onera, ut equi faciunt, nec aratro terram excolere, ut boves, nec domorum cuſtodiæ præfici, ut canes, riſum movent, nec uſui ſerviunt, ſed voluptati. Alienæ voluntatis affectiones,alienos plerique dominorum induunt mores. Superficies & lineæ ſunt, quæ nec extenduntur ipſæ nec producuntur; acceſsu corporum,horum motus ſequuntur. Simulant quidem quandoque ſtudium veritatis, & quadam libertatis ſpecie, ad tutiùs fallendum ſcilicet, abutuntur. Idem obſoniorum artifices faciunt, qui ad tollendam ſatietatem auſtera quædam dulcibus condimentis admiſcent. Et ejuſmodi quidem aſſentationum peſtibus illa debemus larvarum portenta, ut homines perditiſſimis moribus coinquinati, aliquo tamen inflati gloriæ ſucceſſu, ſe proſtratis ad terram corporibus ſalutari, ſibi ſupplicationes indici publicas, aras extrui, extolli Fana, Apotheoſes decerni non erubuerint. Aliquam ſaltem Patroclus in ipſa

ambi-

ambitione modeſtiæ partem retinuit, cum in aciem proditurus,reliqua quidem Achillis arma induit, ſed haſtam, ut impendiò gravem atque prævalidam, attingere non eſt auſus. Quidquamne vos verecundiæ in illorum frontibus fuiſſe putatis reliquum, qui per audaciſſimam impudentiam divinos honores invaſerunt, ut propudioſiſſimi mortalium novum gererent perſonæ genus, Divinitatem? Sed ab hac proritanda ſcabie abſtineamus manus, & fugiamus cum Tullio prçconium mercenarium.

Quòd ſi nos animorum ſimulatio miſeros, adhibita corporibus pigmenta larvæque in omnes vitæ uſus intruſæ, ſi Deo placet, etiam ridiculos faciunt. Si locus ab aeris inclementia contegendis corporibus petitur, certantes urbibus domos erigimus; ut noſtri tenuitatem corporis milliaria ſçpe multa nõ capiant. Non ſatis ſublimia ducimus ædificia, niſi illa metientes oculi defatigari ſe ſentiant. Cubicula remotiſſimo proſpectu ad Hippodromi ſpeciem refugiunt: habitanda ſcilicet oculis relinquuntur. Triclinia, cœnationes, dietæ, muſæa, pinacothecæ, gynæcea, andrones, procœtones, antithalami, pergulæ, hypogæa, quid alia referam, quorum vel indices volu-

volumina explent? Artificum populus ætatem operi impendit, ut exiguæ ſtaturæ animal à vento & imbre ſe protegat. Parum eſt, nullis ædificia terminis includi: immetatiùs gula protenditur. Nulla eſt tam ſterilis & deſerta regio, quæ obvia comparatu cibaria vel ſponte non pariat. Cum iis ſatis pulchrè & beatè nobis eſſet ad naturę mentem, & corporis neceſſitatem. Sed tanquam fateri nos pudeat modicis indigere, bella elementis indicimus, ut inexplebilis gulę ambitio quęſitâ naufragiis eſcâ potiatur, & quaſi ipſa hominum pericula devoret. Obturbatur aer, proſcinditur terra, maria ſulcantur, ut ſemipalmaris ſtomachi fornacula barbara piſcium & avium vocabula concoquat; tanquam ſentiant exta, quod in cæcam voraginem conjicitur, à Phaſide & Numidia veniſſe. Grave eſt & moleſtum, fercula ordinatim ſubeuntia cenſere. Verbo dicam: facilius eſt, exercitum inſtruere, quàm convivium. Sed minima pars eſt, quam inde venter accipit. Res agitur omnino ſcenicè: ad menſam fercula, tanquam Hiſtriones in proſcenium, accedunt receduntque: ſpectatores veriùs agimus quàm convivas. Oculis voluptaria condimentorum venena, oculis ſtatuarum è ſaccharo emblemata,

oculis criſtallini lychni penſiles, oculis lances, catini, aquales, hydriæ, cymbia gemmis aſpera ſerviunt. Ipſæ dapes contuſi auri bracteolis veſtiuntur, & ſuam gerunt perſonam. Jam de multiplici veſtium larva, quoniam infinita res eſt, dicam breviſſimè. Fluxam corporis ac vitream prope compagem aſcito bellatores ferro diſſimulant. Quid enim armatorum militum corpora referunt, niſi vitrum chalybe perſonatum? An luti natalis, & conditionis ſuæ memores arbitraris, qui animatum hoc deficientis quotidie corporis cœnum, ſerica Belgici operis texturâ, auroque ad ſæculi ingenium multiplici ratione vexato obvolvunt atque ſuffarcinant? At, inquies, qui tantam auri bifariam textilis vim conſtipant veſtibus & inferciunt, delicatis humeris negotium faceſſent. Verùm, modò ſuſpiciantur, ſudare non piget. Inflati animi levitas onera illa non ſentit. Irrident veterum mollitudinem & inertiam, atque illum inprimis Canopi vernam, qui

........Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ.

Eò demum odium veritatis, & omnia pervertendi ardor proceſſit, ut vel ſupremos ca-

pitum

pitum apices ſimulatio inſcenderit, ibique externos & adventitios crines, quoddam veluti victoriæ ſuæ vexillum, eventilet. Ab extremis Bataviæ atque Britanniæ finibus navigant Italicarum frontium capillamenta. Unde primùm diſſecta fuerint, nolite quærere: quod criſpulum eſt & eleganter cirratum, ſatis honeſtum ducitur. Permiſtis ætatum notis & inſignibus, flaveſcenti coma conſpiciendi ſenes refloreſcunt vere non ſuo. At juvenes, non ſine immani vireſcentis ætatis injuria, irrorato crinibus Cyprii cujuſdam pulveris nimbo, inalbeſcunt. Nimirùm hoc etiam moribus per omnia præpoſteris deerat, ut luxus vel à pulvere ſumeret incrementum. Riſum nobis vel cogitantibus ciet Æſopicus graculus, alieno renitentium plumarum amictu, ad cæterarum avium irriſionem exornatus. Ecquid, obſecro vos, inter illius intereſt & eorum inſolentem ambitionem, qui è viliſſimis ſæpe ſcortis deciſos capillos integris ſibi Majorum cenſibus comparant? Hos verò graculos (quid enim Narciſos aut Ganymedes appellem?) non irridere, non exſibilare, non explodere, extremæ, niſi fallor, patientiæ eſt.

At forſitan ſupremæ neceſſitatis vis ineluctabi-

ctabilis è mortalium vultibus tam obſtinatam larvam excutiet. Nimirum

. . . . Mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula . . . .

At enimvero erraſti, Satyrice. Uſque adeo fallendi libido pervaſit, tam latè ſui fines propagavit imperii, ut de exiguitate corporis humani ne morti quidem ſatis credendum ſit. Quis ſibi perſuadere poſſit, hominum etiam cineres perſonam gerere, & frigida extinctorum oſſa novæ ambitionis ignibus incaleſcere? Res eſt, Auditores, vel oculorum judicio compertiſſima: ne ſuſpicari poſſitis, dum communes vitæ fallacias inſector & exagito, à me vos impudentiùs decipi. Quid enim? Ad exigui acervum pulveris operiendum, non urnas, ſed marmoreas planè domos extruimus. Vivorum ædificia otioſæ magnitudinis, & ſupervacaneæ magnificentiæ nomine in crimen vocavimus. Video nimis ſeverè cum illis actum. Minimum illis inſidet culpæ, ſi cum his ſepulcrorum molibus conferantur. Ornatiùs, laxiùs, opulentiùs cineres habitant. Ibi certè ſervorum & ancillarum multitudo, equorum numerus, ſupellectilis copia ampliora ſpatia depoſcunt. Convivia, ſaltationes, ludi, amicorum frequentia, acceſſus hoſpitum

pitum, & multiplex vitæ uſus in anguſtum cogi non poteſt. Ubi hìc affluens ſupellex? Ubi hoſpitum adventus? ubi famulorum turbæ? ubi amicorum comitatus? exiles, modici, ſimplices & ſolitarii cineres conticeſcunt. Illos tamen vix Pyramidum vaſtitas, vix immenſa capiunt Mauſolea. Jam verò ad ſtatuarum ornamenta, ad inſcriptionum laudes oculos conjicite. Peream, niſi pulverem infelicem mendacia magis, quàm marmora onerant. Pietatis, Religionis, Liberalitatis marmorea ſimulacra promiſſis adſtant negligenter comis, vultu mœrore dejecto, genis, invita ſaxi duritie, indigno fletu exaratis; at ille ingenio ſordido & illiberali, omni etiam flagitiorum cœno deturpatus è vita migravit. In ſupremo tumuli faſtigio Famæ effigies, inauratam tubam ori inſerens, præclara jacentis vulgat facinora: at ille ignaviâ & inertiâ emarcuit. Lydio quadrato lapide longa titulorum ſeries, & illuſtrium operum epitome continetur: at nihil eſt ab illo geſtum, quod non ignorari potiùs poſteritatis interſit. Prætereo validiſſimis fragrantium ſuccorum antidotis imbutum cadaver; ut pertinaci quadam vitæ obſtinatione non timere mortem in ipſo mortis regno, ſed illam laceſſere videatur.

Satin videor, Auditores, oſtendiſſe, homines ab infantia ſuſceptam, & per omnem vitæ partem uſurpatam, etiam poſt cineres retinere perſonam? Intelligitis, id ſuo jure contendere ſacros Cineres, quibus ab ipſis Jejunii quadragenarii primordiis, noſtræ ſalutis teſſerâ Sacerdotis digitis deſcriptâ ſignamur, ut noſtræ nos originis memores faciant, omnemque larvam præteritæ ſimulationis aboleant. Admonere nos illi non deſinunt, quàm parum ſit quantævis corporis firmitati fidendum, quàm incitato gradu ad unius lapidis propoſitam omnibus metam rapiamur. Illos audiamus amiciſſimos cineres, veros ſalutis noſtræ conciliatores atque pararios. Scitis haud dubiè traditum eſſe memoriæ, Græcum adoleſcentem, cum extincti ſodalis deſiderium ferre non poſſet, horologium ſibi ex ejuſdem conflaſſe cineribus. Effecit ille per ingenioſiſſimi impotentiam amoris, ut quem ſocium habere non poterat, haberet vitæ menſorem: non abſurdè blanditus dolori ſuo, qui non penitus periiſſe eum crederet, qui ſemper agitaretur. Non ita nos temere & inconſideratè tempus, cujus ſolùm laudabilis eſt avaritia, prodigeremus, ſi pro manticariis iſtis, quæ auro gemmiſque exſaturata oſtentui

tui ſunt potiùs, quam uſui, ſimilia ex cineribus horologia ante oculos haberemus. Si, quod moris erat apud Ægyptios, eductum è tumulo cadaver ad menſæ caput aſſideret, quàm ſobria illa eſſent convivia, quæ intemperantiam & ebrietatem adminiſtros habent, & quæ deſipere putamus, niſi multâ ſermonum maledicentiâ condiantur. Herculem in Oeta monte, per extremos cruciatus, rabies potius quàm flammæ ejulantem conſumpſerant. Collectos ejuſdem cineres, urnâque concluſos effert apud Tragicum Alcmena mater. Audite in ipſo luctu de rerum humanarum inanitate diſputantem, nec tam præficam, quàm magiſtram. (*c*)

Anilis, heu me, cœpit Alciden ſinus.
Hic tumulus illi eſt. Ecce vix totam Hercules
Complevit urnam. Quàm leve eſt pondus mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leve!

Georgium Caſtriotam, Scanderbegii nomine multis Turcarum cladibus clarum, uſque adeo milites bellicæ virtutis opinione verebantur, ut comminuta extincti oſſa certatim caperent, & thecis incluſa pectori appenderent

(c) *Senec. Herc. Oet.*

rent, inviĉtos ſe in acie fore, illo ſalutis præſidio & fortitudinis incitamento reputantes. Nullam hodie partem, Auditores, inſperſorum veſtris frontibus cinerum diſpergatis. Diligenter potiùs firmiſſima illa ſalutis veſtræ munimenta tueamini. Nego ullum validius telum futurum adverſus Tartareorum hoſtium acies pugnaturis.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO X.

DE LAUDIBUS

B. ALOISII GONZAGÆ.

CLARISSIMA apud Romanos olim Corneliorum Familia videri potuit ſibi humanæ felicitatis terminos tenuiſſe, cum, inter geminos Scipiones, Africanum alterum, alterum Aſiaticum, diviſa prope laude debellati Orbis terrarum, aſſurgeret. Sed gentilium ſuorum decora illa obſcuravit, tertius ex eadem gente, Naſica, qui vitæ probatiſſimæ exemplis unus omnium,

omnium,quotquot Romæ aderant cives optimi,integerrimus Oraculi teſtimonio pronunciatus eſt, ideoque digniſſimus ad cujus maximè domicilium Berecynthię ſimulacrum pro tanti, ut apud Ethnicos, Numinis dignitate diverteret. Scilicet illuſtrioris animi fuit, meruiſſe Deas hoſpites, quàm expugnare Carthaginem, & Romanæ Pietatis, quàm Imperii, fines nomenque producere. Idem mihi ferè hodie liceat prędicare de Gonzagarum Familia, cujus tot bellica virtute parta eximiæ laudis inſignia, veluti minora quædam ſidera, Chriſtianarum complexione virtutum comparata ab ALOISIO gloria obumbravit. Ut jam mihi Friderici, Villelmi, Franciſci, Vincentii, Italicis annalibus laudatiſſima nomina, Adoleſcentis optimi fulgore perſtricta, quodammodo hebeſcere videantur. Et quoniam militarium decorum ornamentis inprimis illuſtre atque conſpicuum circumfertur Franciſci Mantuę Marchionis nomen, eidem non ęquandum dumtaxat veræ fortitudinis commendatione ALOISIUM, ſed longè anteferendum contendam. Præripi ſibi ab egregio Abnepote eam gloriā tantò ęquius Franciſcus feret, quàm eſt omnibus certum, aſſerta Italiæ libertate, & potentiſſi-

tiſſimis hoſtibus profligatis, omnes illum numeros expleviſſe abſolutiſſimi Imperatoris.

Lycurgus, qui Lacedæmoniis, quas longa peregrinatione didicerat, leges tulit, curſu, pugilatu, omnique armorum exercitatione egregiè quidem Spartiatas inſtituit; ſed, neglectâ reipublicæ curâ, hoſtes potius viſus eſt reſpexiſſe, quàm ſuos. At verò Plato, dum ejiciendis immodicis cupiditatibus, dum excindendæ ambitioni, dum frugalitati, obſequio, moderationi inducendæ niſus omnes contulit, multò ſanè propiùs ad veritatem complexus eſt animo imaginem Civitatis, ad manſuram felicitatem ſtabili certoque gradu contendentis. Ille ad laborem & duritiem corpora, hic ad honeſtum & æquitatem animos informavit. Externos ille hoſtes timuit, hic inteſtinos. Curavit ille ſtrenuos bellatores, hic viros bonos facere. Lycurgus demum armavit ſuos, ut hoſtes repellerent; Plato providit, ne timerentur. Nec verò ſolidam ſinceramque fortitudinem eam dixeris, quæ in acie & pulvere obſtinatè decertans, laſcivit ſanguine populorum; quæ regionum vaſtitate, agrorum incendiis, Urbium ruina perfruitur, & per injurias ſtrageſq; hominum graſſatur ad gloriam. Illam æquum eſt impen-

ſiùs

ſiùs demirari, quæ domeſticos & importuniſſimos hoſtes, imò vero Tyrannos edomat,qui intus, &,quemadmodum ajebat ille, in jecore ægro inoleſcunt ac dominantur. Ea ſcilicet ambitionis impotentiam refringit, voluptatis inſidioſam eſcam proculcat, & obliquis animi motibus, atque iis cupiditatibus imperat, quarum plerumque causâ defatigantur alii dimicantque.

Illuſtre Franciſco rudimentum, & maximorum operum auſpicium fuit pugna illa memorabilis inter Gallos & Italos fœderatos, quæ Æmiliæ campos & Tarum amnem nobilitavit. Submoti eo conflictu hoſtes, compulſique trans Alpes. Italiâ brevi utcumque laxamento relevante animos, donec recrudeſcente iterum bello, graviori calamitatum pondere opprimeretur. Cogitate disjectas latè acies, oppletas cadaveribus ripas, amnem ipſum horrentem armis & ſanguine decolorem. Poteſtatem facite hìc mihi, ut Taro Mantuani gloriâ tumeſcenti Ticinum amnem opponam. Solutis aucto nivibus, & exaggerato torrentibus alveo, præceps fluvius ferebatur. Quadrijugis equis invecto curru geſtatus Aloiſius, ut illum trajiceret, aditum occupaverat, parum cautè prætenta-

to

to vado. Vix in medias aquas proceſſerat, cum validiſſimo impetu undarum volumina ingruunt. Præſentiſſimi diſcriminis metus ſubito gelu aurigæ corpus obſtupefecerat. Equi non virium, non dexteritatis nativæ compotes, nec obluctando impreſſionem fluminis ſuſtinere, nec pedum jactatione, niſuque corporum, emoliri violentum gurgitem ſatis poterant. Interea auctior ex alto amnis agere ſe in adverſum, & ſuperfundere. Non editiora aderant ſaxa, quæ comprehenderet; non ſarmenta & arbuſta, quæ arriperet; non elatioris arenæ cumuli, quibus infelicem vitam committeret. Quid hìc expectatis, Auditores? comminutum violenter currum? Aurigam in profluentem præcipitem devolutum? hauſtum vorticibus, feroci impetu abſorptum optimum Juvenem? poſtremò cadaver ipſum diu jactatum, aut in ripas miſerabiliter ejectum, aut ſecundo amnis procurſu in mare delatum? O facinus poſterorum memoriâ & prædicatione digniſſimum! O incredibilem erga integerrimum Puerum irati fluminis reverentiam! Subſtitit non ſine obſequii ſenſu rapidiſſimus gurges, à feroci ſe continuit fremitu, debacchantem latè ſævitiam coercuit, vim demum omnem ab honeſtiſſimi Adole-
ſcen-

ſcentis contactu, nedum aggreſſione aut pernicie inferenda prohibuit. Quid amne illo, licet limo & congeſtis ſordibus deturpato, clarius & illuſtrius dixerim? Quid furibundo illo agrorum prædone aut mitius aut innocentius commendaverim? Putaſſes indolem Gonzagæ mitiſſimam undas eſſe imitatas, quæ non jam vaſtatione & rapinis, ſed ſolo manſuetudinis pretio ſuperbirent. Putaſſes ad compoſitiſſimæ illius frontis aſpectum licentioſas aquas modeſtiam didiciſſe. Extollat nunc Mantuanus Ductor dimicationem ſuam. Ille florentiſſimis copiis inſtructus, armorum terrorem circumtulit: Aloiſius, ſatis tutus innocentiâ ſuâ, ab amne ſæviſſimo admirationem, obſervantiam, amorem extorſit. Ille hoſtes communicatâ cum pluribus gloriâ, hìc infeſtiſſimas undas ſine rivali & ſocio laudis edomuit. Ille demum partem cladis aliquam non declinavit, ancipiti apud plurimos palmâ, necdum tanto poſt tempore dijudicatâ; hìc de terribili flumine impacatoque victoriam certiſſimam reportavit. Quamquam, quod ad hanc gloriæ partem attinet, Aloiſius non Mantuanum dumtaxat, aut quælibet Hiſtoricorum eventuum monumenta, ſed ipſam ſuperavit, qua nihil eſt portentoſius, fabulo-

bulofæ audaciam Antiquitatis. Nam quis hìc mihi aut Herculem cum Acheloo, Epiri flumine, aut Achillem cum Xantho, Phrygiæ amne, congredientem obtrudat? Vicit Chriſtiana virtus omnia Poetarum figmenta. Quantò enim ſpecioſius fuit, ferociſſimum fluvium ante pugnam vinci, ſeque ſolo conſpectu exarmatum ad victoris Gonzagæ pedes proſternere?

Aquarum domitor Aloiſius ut pleniùs omnia ſibi elementa ſubjiceret, ignis acceſſit. Hujus quò aſperum magis & inſolens eſt ingenium, eò æſtimabilius obſequium fuit. Ipſum ſcilicet nobilis invidia urebat ignem, dum aquæ ob præſtitam Gonzagæ reverentiam magnificè jactanterque ſplendeſcerent. Maturavit itaque occupare eam laudem, poſtremus ordine, nulli claritudine beneficii comparandus. Ita decus illud præripuerunt aquę, ut adhuc igni ſervirent, cujus illuſtriori prodigio proluſerunt. Cubitum innocentiſſimus Puer diſceſſerat, emenſoque piæ ad Deum ac Cælites ſupplicationis penſo, in ſomnum, quo ſe præter ſolitum prægravari ſentiebat, ſe dedit. Caſu, imò divinæ mentis conſilio contigit, ut candela, quam Cubicularius decumbentis lecto propiorē, quàm par erat, reliquerat,

rat, ſtragulorum partem corriperet. Cum di-dita ſubinde peſtis latiùs ſerperet, æſtus tene-rum corpuſculum perſtringere, fumi vis ani-mæ meatus cœpit occludere. Ubi primùm, diſcuſſo ſomno, periculi magnitudinem ſen-ſit, clamore edito, è lecto deſiliens in proxi-mum conclave ſe recipit. Accurrunt properè famuli. Lodices, culcitam, pulvinaria, om-nia demum igne obſita offendunt; ea tantùm ab æſtus contage integra illibataque lecti par-te, quæ jacentis corpus exceperat. Dum rem miraculo ſimillimam obſtupeſcunt, ignis, qui latenter eatenus & modeſtè manaverat, exci-tatâ repente cum fremitu flammâ, quod erat ſtragulorum reliquum, aſſamenta, fulcra, co-nopeum involvit, ſeque, proxima quæque al-lambens, quàm latiſſimè explicat. Itaque con-ferunt domeſtici operam, ambuſtaque ſupel-lectili in vias projecta, reſtinguunt incendium, quod, abſente Aloiſio, tanquam amotis repa-gulis & modeſtiæ causâ, ſuo ſæviebat inge-nio. Nulla fuit hominum dubitatio, inuſita-tam divinæ potentiæ vim conſopito Juveni adfuiſſe. Niſi fortè exiſtimare malis, noviſſe ignem nihil in illo labis eſſe, quod expiaret, imò potiùs candidiſſimas pudoris nives, quas refugeret. Palam eſt, recentis conditionem

mili-

militiæ, multis portentoſiſque inventis machinis incendiariis, igni eſſe vehementer obnoxiam. Ineptiſſimus verò mortalium ſim, ſi à Duce Mantuano exquiram, num ex tot campeſtribus & moralibus tormentis, num ex tot majoribus ſclopis, ollis miſſilibus, fiſtulis manuariis, nulla copiis ſuis perniciem attulerit. Fatebitur nimirum, fortiſſimos legionarios igne proſtratos, lectiſſimos amicorum adequitanti ſibi proximos, interemptos, ſe verò ſemel leviter libato crure, atque iterum graviori accepto vulnere de pugna deceſſiſſe.

At iſthæc, inquies, è Cælo accerſita prodigia, & rerum Conditoris Aloiſio prodigiosè opitulantis beneficia, non tam hujus fortitudinem, quam immenſam edocent divinæ magnitudinem poteſtatis. Omiſſis igitur quæ naturæ ordinem & vires excedunt, ad eximiam quandam in ipſo Aloiſii pectore perquirendam conſtantiam properemus. Ingentem, quod omnis fatebitur memoria poſteritatis, Mantuano gloriæ ſplendorem adſtruere valuit receptus ille militaris, cum circumfuſas hoſtibus copias, Liri ſubitario ponte conſtrato, inſtructo & ordinatim progrediente agmine, in tuta loca tranſmiſit. Dolus ille bellicus, & in re trepida anguſtaque expeditiſſi-

tiſſimum conſilium, etiam ab hoſtibus confeſſionem inauditæ virtutis elicuit, demirante Ducis calliditatem,nec debitis parcente laudibus Conſalvo,cui cognomentum Magno Duci diſciplinæ militaris ſcientia & virtus indiderunt. Verùm quantò feliciùs Aloiſius è maximorum Regum aulis, ubi honorarium Ephœbum agebat,emerſit? Quantò generoſiùs ſplendidæ quidem ſed humanæ ſervitutis laqueos explicavit,ut rerum RegumqueDomino mancipatum animum arctiori vinculo adſtringeret? Paternę opes,validę & prępotentes affinitates, ſpes ampliſſimi adeundi Principatus fortem Puerum obſederant. Ætas voluptatibus opportuna, generis claritas, indolis præſtantia, illuſtres Majorum imagines, in aula Catholici Regis ad ſummos honores poſitum tirocinium, quaſi circo quodam, nullo ad evadendum relicto aditu,incluſerant. Tot atque talibus difficultatum ambagibus illigatus atque præſeptus ad quæ demum effugia reſpiceret, qui veros honores ſolâ honorum mortalium deſpicientiâ metiebatur, qui humanam omnem, nedum paternam gloriam præ ſui rerumque caducarum contemptu faſtidiebat? Quæ Aloiſius effugia reſpiciat? O Pueri conſtantiam, veteranis quibuſque Chriſtia-

ſtianæ militiæ athletis invidendam! Quamdiu ab iniquiſſimis anguſtiis expedire ſe, pro debita Majoribus obſervantia, & infirmioris ętatis imbecillitate non potuit, commentus eſt pulcherrimum profugii genus, ut in ipſa periculorum frequentia tutus, inter ipſa ſervitutis vincula liber eſſet. Inſigne Mantuani decus fuerit, rationem certam excogitaſſe, ut ab hoſtium manu elaberetur: Aloiſius inter ipſas inſidias ſecuritatem, inter otioſę Juventutis illecebras & laxitatem animum ab omni flagitioſę labis afflatu illibatum retinuit. Mantuanus ab ingenio ſuo impetravit, ut adverſas & conglobatas turmas, quæ itinera inſederant, per aſtum eluderet: pervicit Aloiſius, ut aperta acie, & in hoſtium oculis, ſtationem tueretur ſuam. Ut enim coſti, odoratiſſimi fruticis, pretium terræ, ubi provenit, ſterilitas ipſa commendat, ſic ea Pueri virtus à conflictu clarior nituit, gratior propinquitate periculi. Ita cum forti magnoque Gonzagæ animo ex Regum aulis & paterna domo in Religioſorum hominum ſepta profugere non eſſet integrum, facta tamen eſt copia per excellentem virtutem, ut in aulas domumque patriam Religioſorum mores & quaſi clauſtra traduceret.

Quibus verò artibus, quantoque virium & conſiliorum conatu aſſequutus demum fuerit, ut divitiis & honoribus abdicatis, in religioſa Familia abjectioris vitæ ſacramentum diceret, non priùs commemorem, quàm ad illud Italici nominis lumen Marchionem Mantuanum orationem referam. Scientiſſimi Imperatoris gloria per ora hominum latiſſimè pervagata eſt, cum adversùs validiſſimorum hoſtium exercitum Placentiam, in qua retinenda aſſerendaque univerſi belli cardo vertebatur, tutatus eſt. Efferebant alii maturitatem conſilii, quòd ad primam oborti diſcriminis ſuſpicionem quieſcentes ſub pellibus copias properè coegerat. Alii opportuno loco inſtructas ante munitiones acies extollebant, & præſidiarias cohortes, quarum virtuti maximè fideret, tempori in Urbem conjectas. At enimvero conferat Mantuanus propugnatæ Placentiæ decus illud cum firmiſſima arce ab Aloiſio expugnata, pectore nimirùm Ferdinandi genitoris, qui de nuncio paternis opibus domuique remittendo ardentiſſima Filii vota morabatur. Fugite autem judicare, ejuſmodi expugnationem arcis minores ab Aloiſio vires depoſcere, quoniam non acto ſub terram igne excutiendam, non

tor-

tormentis everberandam & diffringendam, ſed flectendam precibus, lacrimis emolliendam aggrediatur. Nihil hìc, fateor, negotii habet foſſor cunicularius, nihil tormentorum librator & exploſor, nihil jaculator aut funditor. Tametſi verò nec complanandis foſſis, nec admovendis ſcalis, nec propugnaculis ſubruendis neceſſe hìc ſit laborem impendere, multis tamen experimentis exploratum eſt, hominum corda, quàm munitiſſimas arces, expugnari majoris eſſe operæ. Martius Coriolanus, plebis odio in exilium actus, Volſcos & Romano nomini infenſiſſimos quoſque finitimorum in Urbem rapit. Ab omnibus locis imparatam aggreditur: ambitione & odio incitatior, quàm ut patriæ, conjugis, & liberorum meminerit. Pars portarum clauſtra revellere; pars ſublatis ſupra capita ſcutis teſtudinem contexere; denſiſſimis alii globis pabulum eripere; alii extruere aggeres, & certatim ſaxa, ignes, deciſa robora jacere; hinc ingruentium clamoribus, miſerabili illinc mulierum & puerorum ploratu vias compleri. Vaſtum ubique, & quod extremæ ſolet deſperationis eſſe, ſilentium. Non Senatus authoritas, non injecta caritas natalis ſoli, non Patriciorum primùm, atque iterum Sa-

cerdotum ſubmiſſæ legationes apud efferatum & præcipitem animum quidquam proficiunt. Supremam, ut in rebus perditis, anchoram movent, novum & inauditum legationis publicæ genus, ad Sponſum Volumniæ conjugis, Veturiæ matris ad Filium. Geminam hic, Auditores, arcem, gemina cinctam obſidione contueamini. Coriolanus Romam, Volumnia & Veturia Coriolanum oppugnant. Arietibus ille & catapultis patrios concutit muros; hæ Sponſum Filiumque precibus adoriuntur, ſingultu quatiunt, lacrimis exarmant. Ille mœnibus ruinâ patefactis Urbem, hæ amiculis manu diſciſſis pectora denudant. Agite autem: ecquam ex his arcibus minus dedititiam, captuque difficiliorem arbitramini? Num Romam, an potiùs Coriolanum ad imperatas conditiones compellere laborioſius reputatis? Quodſi, ut eventu luculenter eſt demonſtratum, longè ſpectabilior fuit Fœminarum virtus, quæ de Urbis aggreſſore, & pugnaciſſimis copiis triumpharunt; num cunctari vos, aut tergiverſari vel leviſſimè oportet, ut idem de Aloiſio decernatis, qui obnitentem diu ac reluctantem genitoris Ferdinandi animum ad ſuam demum ſententiam inſtando obteſtandoque pertraxit? Et

id

id quidem haud paulo majori cum gloria conſecutum fateamini neceſſe eſt, quàm atavus ille Mantuanus validiſſimas arces aut defenderit, aut occupaverit. Illo fortiter repulſo objice, nulla Aloiſius temporis intermiſſione, ab infelicibus inaniſſimæ ambitionis ſtipendiis ad ſacræ militiæ, in ipſa Ieſu Societate, vexilla tranſiit.

Pudet me tædetque, Juvenem divino jam authoratum Duci cum profanæ militiæ ſplendidiſſimo licet illo lumine, Mantuano, conferre. Nam ſi ejus gloria præſtantiſſimo huic armorum Præfecto caliginem induxit, etiam cum in numero Candidatorum eſſet, & alba conſpiceretur in parmula, quantum illi lucis eripiet, quantas effundet tenebras, ſacramento cæleſtis ſupremique Imperatoris adſtrictus? Quid? cum multa Veteranus ſtipendia meruerit. Quid? cum inter Triarios fuerit adlectus. Quid? cum ſub certiſſimo Auſpice victoriarum partem ipſe copiarum duxerit. Fortiſſimos ex omni antiquitatis memoria Duces expendite. Fuerit qui ad decies centena armatorum millia ſub ſignis habuerit: at ambitioni ſuæ tanti Ductor exercitus turpiſſimè ſerviit. Multas alii & opulentiſſimas Nationes ſub jugum miſerint: ſed qui reliqua

omnia habere ſunt viſi, iram in poteſtate non habuerunt. Innumeros demum mortales vitâ, potentiſſimos Reges imperio ſpoliaverint: at fœdiſſimarum libidinum tetra & nefaria tyrannide ſunt oppreſſi. Ita quorum latiùs pertinuit propagati armis gloria Principatus, eorum deterior ſervitus fuit. Vitiis litatum eſt ſanguine humani generis: ut intus domique gliſcens improbitas, exercitâ foris crudelitate, jucundiſſimo quodam quaſi ſpectaculo frueretur.

Hæc verò nolim, Auditores, aliorſum quàm prolata ſunt, accipiatis. Neutiquam enim eò ſpectant, ut laudatiſſimis Mantuani moribus notam inuram; ſed ut intelligatis magnitudinem veræ ſolidæque virtutis, quâ Aloiſius, ampliſſimarum opum ac titulorum generoſa abdicatione, cauſas & fomenta vitiorum omnia eliſit atque ſuccidit. Quàm ſtrenui autem bellatoris ſpeciem vobis exhibere poſſem, ſi illius dexteram flagris chalybe exaſperatis armatam, pectus contexta ex acutiſſimis ſetis loricâ munitum, latera admotis, quibus incitari equi ſolent, calcaribus (nam hæc etiam militia nova armorum genera procudit) perſtricta proponerem. Nimis otioſè Fabulatores noſtri faciunt, qui ut

pro-

prodigialibus pugnarum eventibus fidem adſtruant, neſcio quæ comminiſcuntur arma, magicis excantationibus medicata, quæ, ſive ad cædendos ſive ad proſternendos hoſtes, certo torquentur inevitabilique ſucceſſu. Ea certè arma ſuo nunquam fructu victoriaque fruſtrabantur, quibus Aloiſius ultro à ſuo corpore pœnas pro vitæ, noxiſne dicam an innocentiâ?, expetebat. Diverſum illi à Thetide Achillis matre votum; quæ aquis Inferni amnis nudos Filii artus proluiſſe dicitur, quòd eo humore imbutis corporibus nullus crederetur eſſe vulneri locus. Altiſſima ille tenerrimis membris infligebat vulnera; quoniam illa sciret quò copioſiùs cruore, eo largiùs ad gloriam fluere.

Quod à veterum ſapientiſſimo proditur dictum, de hominum felicitate, quantâlibet rerum copiâ affluat, ante vitæ exitum certi quidquam ſtatui decernique non poſſe, in iis habet locum vel maximè, qui bellica ſtudia conſectantur. Profectò infinita res fuerit, Cæſares in Senatu, Pompejos apud amiciſſimos Reges hoſpites, Priamos in intimis ædibus, & ſacrorum complexu cæſos, alioſque innumeros per otium recenſere, qui pulcherrima

præ-

præteritæ vitæ facinora probroſo & funeſtiſſimo mortis genere corruperunt. At Aloiſium exitioſa lue, per annonæ, ut aſſolet, caritatem, Romæ vulgatâ, ſuprema dies non ſedentem in otio, non ignavè deliteſcentem occupavit, ſed languentium turbis implicitum, ſed commeatui oſtiatim corrogando defatigatum, ſed pro ſalute publica fortiter in veſtigio dimicantem. Ægrotis igitur continenter aſſidere: eorum promptiùs hilariùſque curam ſuſcipere, quorum conditio abjectior, ſqualor teterrimus, extremæ ſordes eſſent. Cibum illis in os ingerere, ſtragula componere, Noſocomiorum mediaſtinis & libitinariis locare operam, ad infima quæque miniſteria & caritatis officia demitti. Non Perſarum gazis, non Crœſi deliciis comparabat cæleſtem animi jucunditatem, cum immundiſſima tractaret ulcera, comprimeret ad exprimendam ſaniem, faſciis diligenter obvolveret. Non impar ęternæ ſalutis ſtudium erga decedentes è vita; quos ſalutaribus fulciebat monitis, obnixis ad Deum precibus ſublevabat, pio recreabat alloquio. Inter hæc Chriſtianæ demiſſionis ſtudia publicæ utilitati conjuncta, vaga noxiaque tabe ad extremum, ipſa, uti fit, aliorum curatione

ne

ne correptus vitam profudit, quantùm optare licuit, ſuaviſſimè. Hoc eſt ſcilicet pro communi felicitate conſtanter honeſteque mortem oppetere. Nam quòd Curtii, Æmilii, Fabii pro patria Diis Manibus ſua devoverint capita, eorum exprobrandam potiùs animi levitatem, quàm ſinceram, germanamque fortitudinem prædicandam putem. Locus monere videtur ipſe, ut, quoniam de pugnæ atque victoriæ prærogativa abunde inter Mantuæ Marchionem & Aloiſium diſceptatum eſt, uter tandem ampliorem laborum mercedem reportaverit, diſpiciamus. Id verò quemadmodum ſine palmari temeritatis nota præſtare poſſim, planè non video. Mantuanus in Familiam ſuam clariſſimos quidem, ſed humanos, Aloiſius cæleſtes honores invexit. Illum ſtrepentes tituli, & quorundam Scriptorum literis conſignatæ efferunt laudes expertiſſimi Imperatoris. Hunc Divinitatis interpretes Sanctiſſimi Pontifices aris auctum, pioque Fidelium cultu honeſtatum, æternis faſtis inſeruerunt. Nova hæc, marmoreis ſimulacris & ſuperfuſo largiter auro renitentis Sacelli majeſtas, cuſtos illa ſacrorum Cinerum Urna, non tam gemmarum pretio, quàm pro-

projectis ad eorum oſcula Regum diadematis irradiata, fidem omnibus luculentiſſimè faciunt, quàm ſint ampla eorum ſtipendia, qui, abdicatis ambitionis tumultuoſæ caſtris, in cæleſtis militiæ album nomina referunt.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XI.

DE LAUDIBUS

B. ALOISII
GONZAGÆ.

EO tandem proceſſit ambitionis humanæ omnia faſtidientis ingenium, ut nullas in amoribus habeat vitę dęlicias, niſi illis peregrinus decor commendatione novitatis pretium adſtruat. Solertiſſimus ille Græcorum Ithacam, quia ſuam, non quia magnam amabat. Nos contra, quantumvis magna, contemnimus, quæ apud nos copiosè proveniunt, peregre adve-

ƈta,

Digitized by Google

cta, licet exigua, obſtupeſcimus. Tanquam noſtrorum luſciniæ nemorum minùs doctè & elaboratè modulatus edant, à remotiſſimis ſolùm Africę inſulis, & ab extremis Braſiliæ finibus adducta avium portenta & barbarici cantus arrident. Gemmarum viluerunt pretia, quę non ex Arabico vel Perſico ſinu, tanquam ex reluctantis naturę manibus, furioſus labor extorqueat. Verſicolores tulipas, odoris, nempe animę florum, expertes, ſuſpicere & colere, novumque neglectis pudorem roſis inducere, patientia ſuppetit. Pręterea illa gulę monſtra, & ſtrenuiſſimè navigantem ingluviem: nimirum ut muręnarum lactes, linguas phęnicopterum, pavonum cerebella, non, ut olim, Vitellio aut ſolis Pontificum cœnis, ſed vel privatorum menſis triumphales triremes comportent. Irritâ operâ aſſeverat Plinius, obvias nobis paratuque facillimas, ubique progigni ſalutares herbas, & pauperrimum quemque optima cœnare remedia. A Scythia, tractuque Serum ultimo lignorum cortices, arborum callos, & neſcio quæ lapidum, colubrorum innata viſceribus, petimus amuleta. Scilicet ut noſtro etiam damno longinquis ſerviat adulatio; & quaſi leviſſimum eſſet, immenſam auri

ri copiam deterioribus comparandis profundere, vitam etiam præſtat, quàm ambitionis morbum exuere. Quid plura? In ipſa virtute quandam affectamus peregrinitatem; eamque non ab auſteriori cultu habituque, ſed ab opportunitate vitæ licentioris, & quadam vitiorum propinquitate, ſi minùs contubernio, æſtimamus. Mihi certè genio ætatis, in Chriſtianæ etiam pietatis indagine prodigioſa quæque ſectantis, blandiri & obſequi non eſt animus. Verùm Aloiſium Gonzagam ad lectiſſimæ hujus Juventutis exemplum & diſciplinam proponam; eumque non in obſcuro Religioſæ Familiæ ſeceſſu, ſed in maximorum Principum aulis, & inter paternæ domus illecebras, ad eximiam exaggeratamque virtutem evectum eſſe contendam.

Non illum igitur perpendimus Aloiſium, quem abjecto incluſum cœnobiolo vulgaris parcique cibatus rigor attenuat, quem obſoleta & pannoſa veſtis, ſolitudo, ſilentium, ſqualor, quæque ad publicam diſciplinam regendis Religioſorum cœtibus præſcribi ſolent, emaciant. Detrahite ex ejus humeris vilis indumenti rude & ſubaſperum involucrum, Chriſtianæ ſcilicet clamydem Paupertatis. Ab humilis incultique tecti ſordibus,

cæleſtium in terra voluptatum Elyſiis, Puerum generoſum abſtrahite. Ab oſcurioris vitę latibulis ad lucem ſpectaculorum, ab humilis cubiculi anguſtiis ad regiam ædium laxitatem, à dejectis viliſſimorum operum miniſteriis ad nocturnas chorearum ludorumque hilaritates, à vulgarium demum frugalitate ciborum ad illas traducite conviviorum lautitias, ubi ferculis fatiſcunt menſæ, ſervorum ancillarumque acies fatigantur, coquorum ſudant exercitus. Cogitate Infantem inter illuſtres Gonzagarum laureas pretioſis cunis exceptum: inter Hiſpanicæ aulæ fulgores Ephœbum Puerum cogitate. Quando igitur id agimus, num in ejus ætatis lubrico inprimis & præcipiti loco inexpertam Pueri indolem voluptas dulciſſimis irretitum veneficiis faſcinavit? Num illum annorum florem, aut corrumpendum peſtifero vitiorum afflatu, aut illecebroſo otio conterendum dedit? Imò ab ipſo pueritiæ veſtibulo, Tartareo veteratori præmaturum bellum indixit, dum Florentiæ in ſalutatæ ab Angelo Deiparæ Templo perpetuæ votum pudicitiæ nuncupavit. Qua quidem belli denunciatione, tanta impuriſſimum tenebrionem formidine perculit, ut ille adversùs animum Pueri candidiſſimum,

nullis ne leviſſimarum quidem cogitationum aſſultibus auderet aſſurgere. Hinc illa Pudicitiæ prodigia. Cum Mariâ Auſtriacâ in Hiſpaniam profectus, diuque in aula potentiſſimi Regis cum eadem commoratus, nunquam, ut certiſſimis teſtimoniis eſt publicè traditum, oculos in illius vultum erexit. Ejus raritatem exempli auctiùs tum Reginam frequenter adeundi neceſſitas, tum ejuſdem formæ præſtantia commendabat. Cum Puellæ umbram in adverſo pariete oſculari, quod ludi cujuſdam ratio poſcebat, juberetur, tanquam ad Meduſæ amplexum, exhorruit refugitque. Tam erat pudicè ſuſpicioſus, tantâque in tuenda innocentia religione utebatur, ut vel Umbras, quæ ne umbram quidem continerent criminis, formidaret. In Mediceorum Principum aula adduci non potuit, ut cum Eleonora Mantuæ Duce, & Maria ejuſdem ſorore ludis oblectaret animum in hortis regiâ magnificentiâ poſitis. Cæterum eâ repulſam oris verecundiâ condiebat, ut Puellæ regales impendiò jucundiùs ſuaviſſimo illius pudore indolis, quàm quibuslibet animi relaxationibus delectarentur. In illo demum Hiſpanicę aulę Ephœbęo uſque adeo intemeratæ ejus integritatis opinio apud omnes in-

Q va-

valuit, ut ſicubi malè feriata hilaritas modum excederet, aut minus caſtigati ſermones miſcerentur, Aloiſii interventu colligeret quiſque ſeſe, cœptaſque illico confabulationes abrumperet. Ipſe verò, minimè omnium horarum atque hominum, nihil erat ſolicitus, ut multas jucundaſque amicitias conglutinaret; accurabatque diligenter, ut iis ſe ſolùm adjungeret, quos in veræ pietatis ſtudio ſolidos & conſtantes multis experimentis didicerat. Nam ſi Chilo, Græcorum ſapientiſſimus, vocatus ad cœnam, non priùs condixit, quàm de invitatorum moribus diſtinctè certòque cognoſceret; quantò idem in illis obnixiùs proſpiciendum eſt, qui non in unius convivii, ſed in totius vitæ ſocios adleguntur?

Non eſt cuiquam facile judicare, quanti ſit operis & laboris per eam ætatem inſidiatricis voluptatis laqueos effugere, niſi ſtudiosè priùs examinet, quàm pauci numerentur, quibus, in freto illo æſtuoſiſſimo, ardor cupiditatum & inconſiderata temeritas rationis gubernaculum de manibus non extorqueat. Quòd ſi in illa retia plerique ſe penitus induunt; ſi ab illis vivariis referre in libertatem priſtinam gradum paucorum eſt gloria; quanti reputandum eſt eſſe animi, teterrimi carceris

ceris veſtibulum ne extremo quidem pede contingere? Quid? ſi ad ætatis tempeſtivitatem Familiæ ſplendor, divitiarum affluentia, formæ liberalitas, alacritas mentis acceſſerit. Quid? ſi blanditiæ & hortamenta excipiant incautos. Quid? ſi noxiæ opportunitates, quæ in inſidiis poſitæ à tergo vi ſubita adoriuntur, obſiſtendi prope adimant libertatem. Quarum rerum difficultates cum tenerrimis Puerum annis conjunctim collatiſque viribus obſiderent, per quantam ille, rogo vos, animi firmitatem atque conſtantiam, tot vinculis compeditum animum ad ſui emancipationem aſſeruit?

Nec illud pervicit tantùm, ut æquabili ſtabilique gradu congredientium voluptatum impreſſionem ſuſtineret, vires effringeret; ſed eadem ille naturæ fortunæque incitamenta, quibus quaſi telis impetebatur, in callidiſſimi hoſtis perniciem, latiſſimamque ſtragem convertit. Profectò ut nequiſſimus humani generis inſidiator in ſua damna recidere ſenſerit aſtus ſuos: quemadmodum de illo apud Lucanum ſerpente legimus, qui tranſmiſſo per telum veneno percuſſoris dexteram corripit, jaculumque, exitiabili peſte deteriùs armatum, in ipſum rejicit jaculatorem. Nul-

lis artis bellicæ machinis celeriùs aut expugnantur Urbes, aut ad præcipitandam deditionem compelluntur, quàm cum, occultis ſub terram itineribus, nitroſi pulveris dolia ſub ipſis propugnaculis, anguſto ad fallendum concamerato forniculo, conſtipantur. Admoto quippe illis per ductilem callem fomite, ſuperextantes muri vi ſubita excinduntur, impulſis primùm in ſublime, mox dejectis cum impetu propugnatoribus. Verùm ſi Prȩſidiarii, comperta fraude, opportunis ſpiraculis vim pulveris erupturam eludunt, in diverſa actum ruinæ pondus ipſos labefactat miſerè hoſtes, artifices ipſos intercipit opprimitque. Ad eum planè modum proſapiȩ ſplendor, fortunarum amplitudo, ſuavitas ingenii, ſermonis affabilitas, quȩ adversùm Aloiſium doloſiſſimus animorum Prȩdo arma commoverat, in ipſius caput rejecta immortalibus illum cladibus affecerunt. Illis quippe animi naturȩque ejus dotibus Sodalium plurimi illecti certatim contendebant, ut cujus indolis præſtantiâ capiebantur, ad ejuſdem aliquam morum imaginem deſcribendam incenderentur.

Ut verò Puer egregius eam vitæ inſtitutionem firmiùs inter tot liberioris vitæ provocatio-

tio-

tiones tueretur, geminis inſtitit munimentis, aſſiduo piæ ſupplicationis ſtudio, & ſeveriſſimæ ſubigendi corporis diſciplinæ. Agite verò, Auditores, quònam primos nutanteſque gradus Puellulum direxiſſe exiſtimatis, cum ſe è cunarum faſciolis primùm evolvit? In abditiſſimas paternæ domus latebras ad orandum ſe recepiſſe ii ſcilicet teſtati ſunt, in quorum animis ſummam ardor ille admirationem meritò excitavit. Aderat illi fideliſſima traditarum rerum cuſtos memoria. Eam à primula pueritiæ teneritate, non enervatis Melodramatum cantiunculis, non armorum ludicris, fictitiiſque Fabulatorum certaminibus addiſcendis exercuit. Verùm ſecundùm breviores illas ad Deum Matremque Virginem precationes, quæ prima veluti religioſæ pietatis elementa pueri ſtatim ſolent combibere, eam præcipuè Davidicæ pſalmodiæ partem tenaciſſimè arripuit, quâ vel admiſſorum ſcelerum expiatoria modulatio, vel in ſanctiſſimæ Deiparæ laudem Pæanes gratulatorii continentur. Precarium hujuſmodi penſum ſubnixis ad terram genibus exſolvebat quotidie. Et cum variis identidem morbis diutulè conflictaretur, rogantibus, ut, cavendæ defatigationi, partem illius ſaltem omit-

teret, negabat ſibi poſſe officere,quod uſu noſceret jucundiſſimum . Præter eas preces, quas enucleata recitabat voce, horas quotidie facilè quatuor tacitæ rerum divinarum contemplationi tribuebat. Vix, opinor, tam prolixa ſtudii cæleſtis largitas apud eos fidem invenerit, qui reputaverint Ephœbos aulicis miniſteriis implicitos, vitam agere occupatiſſimam, & ad omnes Principum nutus ſingulis ferme momentis erectam. Verùm ſi de profanis amatoribus dictum eſt, nullum genus hominum articulos uſumque temporis callere ſolertiùs; ſciant illi, non oſcitanter aut remiſsè rem ſuam geri ab animis ſempiterna pulchritudine incenſis; nec deeſſe illis ingenium, ut ſe amantiſſimo Numini ſiſtant, quanta maximè poſſunt diuturnitate atque frequentia. Quamvis nullum Aloiſio tempus pia meditatione fugacius, quia nullum jucundiùs effluebat. Horas illas omnium habere ſuaviſſimas teſtabantur cæleſtes deliciæ, quibus ubertim colliqueſcebat, cum divino ſe reficeret Epulo; quod quidem ſibi non animo tantùm, ſed vel ad palatum eſſe dulciſsimum, nulla lætiſsimi oris ſatietate oſtendebat. Quid dicam à Deipara, cujus nomen laudeſque per omne tempus in ipſius ore habitabant, mitiſ-

ſimo

ſimo recreatum alloquio ? Quid inuſitatæ mercedis pretio ab humanæ ſalutis Reparatore ditatum commemorem ? Nam ſi maximi Principes viros de ſe præclarè meritos aureis numiſmatis, ipſorum effigie percuſsis, honeſtare ſolent; Aloiſio in Hiſpaniam naviganti objectus eſt lapis, naturæ piè ludentis ingenio Chriſti Domini ſignatus vulneribus; quem ille obſequenter è terra ſublatum, & diligentiſsimè in poſterum cuſtoditum, oſculis profundiùs incidere, lacrimis emollire nunquam ceſſavit.

Alterum Aloiſius innocentiæ inter paternas aulicaſque blanditias retinendæ præſidium à vitæ auſteritate, & implacabili ſui corporis odio petiit. Nunquam manum de tabula tollerem, ſi, non dicam ſuis omnia coloribus exprimere, ſed vel ruditer adumbrare inſtituerem, quanto imbecillam ſarcinulam onere oppreſſit, quàm inexorabili in ſeipſum pœnarum acerbitate deſæviit. Quantum panis & edulii à prandio caperet, clam ipſum ad trutinam ſæpius revocatum, vix unciolam adæquabat. Ad jejunia, ex veteri Eccleſiæ ritu, certis anni temporibus à Fidelibus uſurpata, tria per hebdomadam adnumerabat privata Religio; in quibus ad panem latice ma-

ceratum aut nihil, aut quod inſuaviſsimum eſſet obſonioli genus, & ipſa fame crudelius, appendebat. Dicam flagro ſtellulis armato proſciſſos artus, ſanguine reſperſos parietes, ad extremum languorem corpus debilitatum? Dicam ſomnum aut duriſsimis aſſamentis, aut aſperrimis teſtarum fragmentis per lintea diſſeminatis, vix ad naturæ neceſsitatem perductum? Dicam aſperatas equinis ſetis faſcias, cingula intorto chalybe aculeata; quæ ſi excruciandis membris arma deficerent, quæſita ab impreſsis lateri calcaribus pulcherrimæ ſupplementa ſævitiæ? En quibus ille interioribus induſiis ſerica amicula, & cæterum, pro ea generis amplitudine, ornatum punire conabatur. Nec proinde operoſa & pigmentata lenocinia cordi erant, ſed ſimplices facileſque munditiæ; & in omni corporis cultu diligentiam requiri, quàm modeſtiam deſiderari malebat. Conjicitis haud dubiè, Auditores, cum hac corporis afflictatione atque duritie vetitas voluptates nihil habere potuiſſe commercii. Lautiùs illæ victitant, dormiunt molliùs, otioſiùs feriantur, quàm ut tantam ſeveritatem inclementiamque ſuſtinere poſsint.

At ſuſpicabitur fortaſſe quiſquam, Aloiſium,

ſium, adversùs voluptates nauſeabundum & contumacem, aureis ab ambitione compedibus captum & illigatum. Vetus illud nobilitatis malum, eòque nocentius, quò cæleſtem jactans originem, honeſtiſſimo loco progeneratos eligit; nec niſi natos ad maxima, Regeſque ipſos pro ſervis habet. Inter triumphales igitur Gonzagarum adoreas purpuraſque exortus Puer non indignabitur collum jugo inſerere, quod tot duces fortiſſimi, tot magnanimi Principes regiis cervicibus contriverunt. Profectò non dubitaverim, ad illum honorum cupiditate inflammandum, Avorum à tergo gloriam cum inſtructis à fronte longa ſerie ſubituris Nepotibus conſpiraſſe. Crediderim illorum cineres ignaviam exprobraturos in degenerem, horum verò expectationem exemplis avitę laudis ſe deſtitui non laturam. Bene equidem commodèque monent. Utriſque ſtrenuam Aloïſius impendit operam. Greſſus, quibus hic ad honores enititur, omnia Majorum veſtigia ſplendidè obliterant; poſterorum verò non expectationi dumtaxat, ſed etiam votis antevolant. Cujuſmodi autem ea fuerint decora & ornamenta, fruſtra quæritis. Hoc, Auditores, Lararium, tot peregrinis conveſtitum mar-

marmoribus, tot aureis diſtinctum cælaturis, tot ad vivum expreſſis ipſius virtutum ſimulacris & emblematis exornatum contuemini. Omnes vetuſtiſſimæ gentis laudes excurrite. Sudorum fructus, ſæculis laborantibus, domi bellique partos expendite. Percontari libet, num ex numero Heroum tanto tamque præclaro cujuſpiam cineres tot gemmis colluceant, tot vernent floribus, tanto funalium ſplendore corradient? Audeantne illi iſtis honorum inſignibus ſuas conferre in atriis & propylæis ſolitarias imagines, quæ niſi probum ſint nactæ nomenclatorem, perpetua ignoratione, ſitu, & ſqualore obſoleſcant? Quid exanguis illa & emortua mutis conſignata Pictorum tabulis recordatio ad hanc, conſenſione populorum, Principum gratulatione, ſummorum Pontificum oraculis ratam ſpirantemque illuſtrium facinorum, veræque & immortalis laudis prædicationem & pompam? Circumſpicite hæc argenteis expreſſa ſupplicantium tabulis Aloiſii beneficia, nullaque cæleſtium munerum largitione delaſſatam de omnibus benemerendi voluntatem. Non ſum ignarus, permultos è Gonzagarum genere Duces eximios præclarè factis Familiam ſuam nobilitaſſe, Italici nominis di-

gnita-

gnitatem auxiſſe. Sed eadem dies eorum vitæ, & publicæ, quo exarſerunt, ſalutis ſtudio finem attulit. Non pugnant hodie illi cineres, non aciem inſtruunt, non arces tuentur, non hoſtes in fugam convertunt. O inexhauſtam, & invita morte robuſtiorem Aloiſii beneficentiam! Nunc etiam illi cineres ſupplicum preces audiunt, populorum votis arrident, Urbium felicitatem ſuſtentant. Marmoris, quo teguntur, duritiem ſuperant, glaciem ſolvunt illuſtres ſcintillæ; compoſitique exuviæ cadaveris ad novam in dies liberalitatis meſſem publicè exhibendam vigent & effloreſcunt. Ad hæc Aloiſius honorum decora per generoſam mortalium titulorum deſpicientiam faſtidiumque pervenit. Publica laudum præconia, & ſolennes gratiarum actiones obtinuit, qui tam gravatè ſuas uſurpari laudes accipiebat, ut cum à Medico inviſeretur, & is officii causâ quædam eſſet de ejus generis claritate præfatus, ad moleſtiſſimam illam curationem cum ægreſcente animo morbus ipſe corporis irritaretur & recrudeſceret. Ad illius ſepulcrum adorabundæ Regum cervices proſternuntur, qui ſubjectos ſibi in Templis oranti pulvillos ſericos rejiciebat, damnato ſæculi more, qui vel ſupplices faceret ambitio-

tio-

tioſos. Poſtremò ſumma hac celebritate & frequentia, illius nomini ſacra concinunt æra, feſtivis modulatibus perſonant Templa, qui Mediolani, ſolenni haſtarum ludo, inter confertos Juvenum prænobilium cuneos deſpecto vilique jumento adequitans, pulcherrimum enimvero triumphum de contempta inanis pompæ oſtentatione circumtulit. O diem longè clariorem ea Aloiſii demiſſione quàm Sole! Dum ludicro & umbratili certamine æquales equeſtrem artem oſtenderent, Aloiſius ſtrigoſo equo & ſarcinario invectus, ſeriò præliabatur, ſeriò de humani honoris ſtudio faſtuque triumphabat. Et hæc quidem, ex ſola Aloiſii Pueritia leviter decerpta, ſummatim attigi, ut vobis, ornatiſsimi Adoleſcentes, ad exemplum normamque proficiant. Non Illum ex obſcuris Religioſi cœtus penetralibus, tanquam, ut ineptiſsimè non pauci reputant, ex antro Trophonii, aut Timonis ſcopulo, humani generis oſorem aut vindicem amarulentum produxi. Spectatiſsima Paupertatis, Obedientiæ, & omnigenæ ſeveritatis documenta intacta penitus reliqui intra ſacros parietes, nequid inde ad vos prodiret, opinione fortaſſe veſtra, ſubauſterum & horridum. Omnium tritiſſima craſsiuſque recon-

concinnata veſte coopertum, in ſingulis rebus alienæ voluntati morigerum, viliſſimis ſervilium operum miniſteriis mancipatum, deditâ operâ ſtudioſèque reticui. Morbos aſſidua corporis caſtigatione accerſitos, vitam ægrotis peſtifera afflatis tabe ſublevandis impenſam, non modò nihil extollendam, ſed ne indicandam quidem putavi. Puerum egregiis natalibus, ſuaviſſimo ingenio, indole facili præſtantique, vel inter parentum complexus ad ſummos honores enutritum, vel apud Reges maximoſque Principes in Aularum luce verſatum propoſui. Agite itaque in talem tantumque Puerum diligenter inſpicite: ut ad cujus Urnam & Cineres ſumma pietate frequentiſsimas preces profunditis, ab ejuſdem innocentia, pudore, integritate, nullis illecti conditionibus diſcedatis.

ORA-

ORATIO XII.

DE LAUDIBUS

B. ALOISII GONZAGÆ.

AB ultima Antiquitatis memoria repetitum ad noſtra uſque deductum tempora, ac paſſim ab Oratoribus uſurpatum video non ſatis, ut multi conjiciunt, commodum & ingenuum morem illum, ut virorum illuſtrium virtutes, quas exornandas ſuſcipiunt, quanta maximè poſſunt, in luce collocent, eorum verò labes, quibus ubertim mortalitas noſtra inficitur atque

que

que reſtagnat, ſilentii tenebris involutas doloſè diſſimulent. Id verò genus adornatę fraudis eò magis eſt improbandum, quò graviùs eſt genus humanum, quàm privatos quoſque decipere. Quapropter illud eſt proximum, ut Oratores ipſi alieno animo ac minùs æquis auribus excipiantur; contextæ verò laudes minimùm commoveant percellantque auditores, reputantes, quæ nullo vitiorum confinio & quaſi contactu læditur, commentitiam, nec noſtræ conditionis eſſe virtutem. Qui enim probè ſciunt, Hercules, Achilles, Theſeos, in Semideorum numerum cooptatos, imò verò ipſos vetuſtatis fabuloſæ Deos à turpiùm vitiorum concretione nō fuiſſe vacuos & immunes, ſedatè ferre non poſſunt, obtrudi ſibi rem invidioſiſſimam & incredibilem, inculpatam undique rationem conſuetudinemque vivendi. Alcibiadis Silenos converſo quodam modo ab iis putant referri. Ut enim illi prima fronte rudes, intus mira condebant; ſic facundiæ coloribus depictæ horum imagines ornamenta omnia ad ſpeciem, labes intus compulſas atque retruſas abſcondunt. Utrum autem adulationis causâ, an oſtentandæ potiùs artis ſtudio id factitent, non eſt otium quærere. Eam ego hodie notam à præclariſſimis

Aloiſii Gonzagæ laudibus amoliturus,novum laudandi genus ingredior, rejectaque virtutum recordatione, quas perpetuò illum pulcherrimoque comitatu ſtipaſſe conſtat, ſola ejuſdem vitia labeſque in medium afferam, à quarum admiſtione aliqua ſejungere ſe ac ſegregare non poteſt humanus animus in hoc decurſu mortalitatis. Parcite proinde, decora omnia honeſtiſſimi Juvenis; virtutes illibati Adoleſcentis,ignoſcite. Vitam in cæleſti patria degentibus proximam atque ſimillimam exegiſſe Aloiſium, non ex ejus pudicitia, né leviſsima quidem criminis aſperſione contaminata,non ex auſteriſsimo vitę genere,& implacabili cum omnibus corporis oblectamentis ſimultate ſuſcepta,non ex rerum cæleſtium ſtudio, humanarumque faſtidio, ſed vel ex ejuſdem maculis contendam eſſe clariſsimum.

Verum ex hoc cœtu nonnullos commotiùs inſurgere & obturbare me video. Itane verò pro laudibus illibatiſsimi Adoleſcentis, vitiorum commemorationem intrudis? Quæ te mala mens impulit? quorſum tanta inceſsit maledicentiæ rabies,ut vel ſummis Cælitibus audeas dicam impingere? Mirabar tibi litium copiam & obtrectationum adverſùs tui ſimiles defuiſſe, ut immortales

etiam

etiam cæleſtis aulæ Proceres cenſoriâ virgâ proſcindere, iiſque diem dicere non erubeſceres. At non nocendi voluntate, nec infenſo id perſequeris animo, ſed quò honeſti rectique ſtudium ſe jactantiùs efferat comparatione deteriorum, & quaſi ſol aliquis ex opaco nimbo ſpiſſaque caligine clarior eluceſcat. O miram hominis ſagacitatem atque ſolertiam! Quin tu hinc te quàm remotiſsimè abigis cum iſto perditæ calliditatis ingenio, qui obſequii genus reputes, in eorum, qui extra contumeliæ jactum ſunt, culpas inquirere, & ipſis, ſi Deo placet, flagitiis colorem abſolutę virtutis obducere? At ego nihil de excelſarum turrium dignitate, nihil de montium editiſſimorum magnitudine eos Geometras detrahere exiſtimaverim, qui immenſam qua excellunt altitudinem non longa laborioſaque ipſorum dimenſione, ſed umbrarum quas projiciunt modulo metiuntur. An verò quiſquam fateri abnuerit, inexhauſtam quandam divitiarum congeriem peramplis ac profundiſſimis Oceani ſpatiis contineri? Ut enim miſſas faciam pretioſiſſimas merces, ad metum impendentis interitus evitandum, nautarum manibus projectas; ut nihil de opulentiſſimis navigiis naufragio abſorptis, nihil de tot

vehementiſſima concuſſione hauſtis Urbibus atque Provinciis eloquar, ea eſt in infinitam opulentiam ſoboleſcentium gemmarum copia, qua latè circumfluit, ut omnem non modò æſtimandi ſolertiam, ſed cogitandi diligentiam fugiat. Jamverò quibus, obſecro vos, potiſſimùm argumentis de tanta maris affluentia occultiſque opibus judicamus? Nimirum quòd lectiſſimi ſuccini acervis Sarmatiæ littora compleat: quòd candidiſſimæ pellucidęque maſſæ teſtulas, quibus confieri, quæ veteres dixerunt Murrhyna, à nonnullis eſt creditum, in Sinenſium oras effundat. At verò nihil iſthæc niſi quaſdam eſſe maris ſordes & purgamenta accuratiſſimi naturæ indagatores deprehenderunt. Ad ingenium igitur naturæ fecero, ſi ad internas Aloiſii Gonzagæ & præſtantes opes indicandas, ejuſmodi gemmarum nævulos aliquot, aurique probatiſſimi ſcoriolam & recrementa proponam.

Nec verò aut ſtudioſè omittam, aut diſſimulanter obtegam, quo nihil accidere vobis inopinatius poterit, integerrimi cæteroqui Juvenis ne ipſam quidem infantiam noxis liberam vacuamque fluxiſſe. Simile illi quidpiam bullato Herculi dixerim contigiſſe, cujus cunas à teterrimis anguibus fuiſſe cõtamina-

natas eſt fabuloſè confictum. Caſale majus non obſcurum eſt oppidum in agro Laudenſi, haud ita procul à Pado amne. Detinebatur illic ſeptennis facilè Puer cum genitore Ferdinando. Is, ut erat bellicæ gloriæ cupidiſſimus, ludicris armorum certaminibus frequenter editis, multaque imitatione ordinum diſciplinæque militaris, ad ejus artis penitus imbibendum ardorem, Filii exacuebat indolem. Breviores etiam illi acinaces, pugiunculos, haſtatas ſecuriculas, ornatu nitido & eleganti, generoſa quædam veluti crepundia, comparaverat. Per eam ſpeciem ludumque rem Ferdinandus ſeriam agebat; ut his nempe invitamentis & artibus ad armorum ſtudia Puer appelleret animum. Id certè olim agebant Spartanæ nutrices, cum inſomnes puellulos non imbellibus næniolis conſopirent, ſed feroci virilique cantu, & qui bellica celebraret avorum facinora: planè ut ipſe pater inertiæ ſomnus ſerperet eruditus, & cum ſoporis dulcedine imago virtutis & gloriæ egregios occuparet infantes. Dum his Aloiſius exercitationibus quanta maximè per ætatem licet contentione indulget, ſenſimque animus occultis bellicæ laudis igniculis incaleſcit, eò demum puerilis alacritatis pro-

greſſus eſt, ut, funiculo igniario & nitrato pulvere ex onerariis militum capſulis clam directo, majorem ſclopum, interiùs ad ictum probè temperatnm & inſtructum, exploſerit. Diditus repente cum fragore metus perculit oppidanos, ſuſpenſos quò tandem ſtridor ille & fremitus pertineret. Cæterum propinquioris flammæ vis ex arcula pulveris tormentarii ſublata correptam & uſtulatam Pueri faciem miſero deformique ſpectaculo infuſcavit. Re cognita Aloiſius non ſecus indoluit, quàm ſi improbo atque ſacrilego flammarum conjectu Apollinis Delphici, aut Epheſiæ Dianæ templum incendiſſet. Nullum lugendi modum, nullum acerbiſſimo doloris ſenſu affli-ctandi animi finem facere. Se quietis publicæ hoſtem, Urbium perturbatorem, crebris & amaris queſtibus incuſare. Virorum arma, periculo publico, per ineptiſſimam animi levitatem attrectare auſum, inſigni injuria affeciſſe populares; indignationem populi concitaſſe; meritò demum in omniū invidiam execrationemque veniſſe.. Ignorare non poterat Puer optimus, ſe indolis ſuavitate, morum elegantia, modeſtia ſingulari omnibus eſſe acceptiſſimum. Videbat erecta in ſe ſtudia, & neminem eſſe ab humanitate tam alienum,

qui

qui illam facilitatem ingenii, pietatem illam vitæque innocentiam non majorem in modum diligeret atque ſuſpiceret. At eâ cauſâ admiſſi, ut rebatur, flagitii implacabilior erat poſtulator & vindex, ut qui ſui ſtudioſiſſimis non reformidaſſet creare periculum, eoſque furialibus machinis inconſultò laceſſere, à quibus non modò nullâ provocatus injuriâ, ſed ſummæ teſtificatione benevolentiæ eſſet affectus. Sub hæc excolendi Martis ſtudium paulatim effluere ex animo: non armorum geſtatione, non equis phaleratis, non militaribus ludis delectari.

Ut autem à bellicæ diſciplinæ uſu atque conſilio penitus cogitationem abduceret, incitamento illi fuit novum quoddam, & ipſius judicio enorme piaculum. Caſtellionis Marchio Ferdinandus, cum cenſendis in Inſubria copiis Hiſpanis præeſſet, Aloiſius liberiùs aliquantò & familiariùs, quàm pro eo ſplendore generis oportuerat, militum ſtudiis atque convictui inſueverat. Nihil illo genere hominum occupatius, cum in acie ferro decernit, nihil otioſum magis & vacuum, cum ad hiberna dimittitur. Moris itaque militaris eſſe ducunt, confabulationibus pluſquam feſcenninâ licentiâ aſperſis, longum diem falle-

re, impuriſſima & prætextata verba quaſi de plauſtro jacere, omnemque ex ore meretriciæ procacitatis colluvionem evomere. Aloiſius, cum per occaſionem luſtrandi hibernacula ſe confertis eorum globis permiſcuiſſet, ex eorum colloquiis collectam unam aut alteram licentiorem voculam temerè protulit. Morum exactor & caſtigator, quem individuum illi comitem Ferdinandus addiderat, monet, contaminatiſſima verba, quæ inſcio imprudentique, quod minimè dubium haberet, exciderant, ab illa ſtirpis claritate, & à Chriſtianæ probitatis inſtitutis nimiùm quantùm abhorrere. Meminerit, animi interpretem & internuncium ſermonem eſſe. Curatiùs in poſterum cautiùſque linguâ uteretur, quàm non fruſtra otioſèque natura interiori gingivarum dentiúmque vallo, & labiorum ſecundaria quadam quaſi munitione clauſiſſet. Poſtremò ſciret, abjectâ ſemel oris verecundiâ, in præruptam licentiæ declivitatem abripi mores. Si ex officii ſui ratione, rem turpem probroſamque ad Genitoris aures afferret, quanta illum indignatione exarſurum crederet? Sed confidere ſe, occulti inſpectoris Dei majorem ipſum rationem, quàm animadverſionis paternæ habiturum. Gonzaga,
ta-

tametſi quantum illis verbis fœditatis ſubeſſet, penitus fuerat neſcius, ubi primum de eorum nequitia cognovit, nimirum obmutuit, expalluit, diriguit, tantum nón exanimatus eſt; quaſi peccaſſet, quia ignoraverat. Ex ea certè die ad confectum vitæ curriculum, non modò infelicem linguæ levitatem illam exhorreſcere, animumque flagitii recordatione diſcruciare non deſtitit, ſed rigidiſſimis cruciatibus ſpontè ſuſceptis, vigiliis, inediâ, verberibus, prolixaque ſanguinis effuſione à puriſſimo corpore pœnas expetere pro crimine, quod neſciverat. Cum verò ut non nihil de immoderata auſteritate remitteret, & corpuſculo parceret, ab aliis moneretur, dejectis oculis & rubore ſuffuſa fronte, facinoroſam illam repetebat pueritiam, quam nulla vitæ aſperitas ſatis poſſet eluere. Tam altè in Pueri innocentiſſimi pectus non admiſſi, imo ne cogitati quidem ſceleris umbra horrorque deſcenderat. Venio nunc ad illud, quemadmodum appellare ipſe erat ſolitus, improbum, immane, atrociſſimum facinus, ut commodo quiſque humanoque ingenio præditus diceret, ſtudium & ardorem, non veniâ ſolùm, ſed etiam laude digniſſimum. Concipite animis, Auditores, flagitium,

quantum pro ea morum innocentia cadere in ſuſpicionem poteſt, graviſſimum. Vincam profectò expectationem veſtram. Aloiſius oculis illis, qui ad eam diem terræ tantummodo, nimirum ſpeculo mortalitatis, aut Cælo, immortalitatis domicilio, patuerant, oculis inquam illis, ſemel, incautè, conjectu minimo & fugàciſſimo, non tam vidit, quam incidit, proh facinus!, in genitricem. Video vos, Auditores, vehementer obſtupefactos. Video adductis frontibus vix in gradu conſiſtere, circumſpicere ſocios, aſpectuque tacito quaſi explorare, num ſatis fidei invenerit res memoratu incredibilis. Vici, quemadmodum dixi, expectationem veſtram. Nam quî, per Deum immortalem, tantum vel confingi criminis potuit in tam brevi contuitu? quid quòd non iterato? quid quòd per imprudentiam? quid quòd in vultum parentis honeſtiſſimæ & amantiſsimæ? Equidem ſic ſtatuere non humanæ ſolùm, ſed piæ etiam mentis eſſe crederem, niſi pauciſſimorum in Deum amor ita eſſet, quod de Argo à Comico eſt dictum, oculeus totus, ut tenuiſſimas quaſdam labeculas in ipſo nivis candore, & Solis luce pernoſcat. Rem certè Aloiſius cum animo reputans prohiberi non poterat, quin

eam oculorum levitatem triſtiſſimis querelis inceſſeret. O, ajebat, hominum perditiſſimum! manus, exitialis machinæ exploſione inquinaſti: linguam turpiſſimæ vocis ſonitu polluiſti: oculos etiam, quos ſaltem integros Cælo repræſentare debueras, ne quid eſſet à culpa vacuum, fœminei vultus obtutu contaminaſti. Expectabam, ut manus linguæque crimina ſuis oculi lacrimis expiarent. Jam ipſi delinquunt graviùs, quorum ope cætera fuerat infirmitas reſtauranda. O res noſtras perditas & conclamatas!, poſtquam ipſa mihi præſidia perierunt, morbiſque graviùs nocent ipſa remedia. Hæc atque talia Aloiſium non putidè & nimis exquiſito affectatoque ſtudio ſecum expoſtulaſſe, illa docent admirabilis oculorum cuſtodiæ, & compoſitæ frontis exempla. In Hiſpanica Regis Catholici aula cum Mariam Auſtriacam quotidie ſalutatum procedere, & convenire ſubinde ſæpius officii causâ adigeretur, nunquam ejus vultum ne leviſſimo quidem aſpectu libavit. Florentiæ, Mediolani, Romæ, Neapolis, aliarumque Urbium, ubi certum ac diuturnum habuit domicilium, cujuſquemodi ædificia indiſcriminatim & promiſcuè habuit. Sodali ſciſcitanti, num fornice arcuatum,

tum, an ligno contabulatum eſſet conclave domeſticum, quod totos dies incoleret, ingenuè reſpondit, minimè ſibi diſpiciendam rem, quæ nihil ad frugem faceret, ſtatuiſſe. Animadvertitis, Auditores, in tanta tamque ſtudioſa ſenſuum & corporis caſtigatione, nulla eſſe vitiis, ad intimos animi ſinus pervadendos, relicta ſpiracula. Plus nimio ſeverè cuſtoditèque eam aſſervabant arcem excubitores, quàm ut intus hoſtem, quantùmcumque veteratoriæ calliditatis, admitteret. Quot priùs ſuperandæ munitiones? quàm valida perrumpenda clauſtra? quot decipiendæ vigiliæ? quot ſtationarii corrumpendi? Aliquis fuerit error audaculę manus, dum igneam molem ſuccendit. A propudioſæ vocis cœno aliquid ejus linguę labis adhæſerit. In culpa demum oculi fuerint, quòd fœminei vultus lineamenta, & matrem filius ſemel de facie noverit. Animus certè, ipſe nimirum Aloiſius, ſui ſemper rectique compos, arreptum ſemel inculpatæ vitæ curſum conſtanter tenuit, & ad extremam mortalitatis metam ſtabili tenore perduxit. Non patiar, Auditores, diutius vos in errore verſari. Gonzagæ noxam, non externas quaſi pulſantē ſenſuum fores, ſed penitiſſimo receptam animo ingenue

nuè referam. Erit tamen hujuſmodi, ut eâ diligenter perpenſa, nihil ad beatarum Mentium ſimilitudinem ejus animo expreſſius cogitari poſſe, omni adempta dubitatione fateamini. Jam arctiùs ille divino famulatui addictus ſe religioſis ædibus devoverat. Liberum nactus & imperturbatum otium, ut ſolet ſummæ pernicitatis curſus eſſe à carceribus, majori contentione cæleſtium commentatione rerum mentem intendebat, quàm ut tenerum corpus & imbecillum exſpatianti animo ſubſervire, & incitatum ardorem illum ſubſequi poſſet. Neque enim ad multas dumtaxat horas ſuaviſſimam precationem, excepto genibus corpore, jugibus lacrimis protrahebat, ſed longioris convivii largas dapſileſque delicias perdiu ad memoriam guſtumque revocabat. Interea flagris rigidiſſimis & aculeatis verberibus corpus cædere; extracto ſanguine pavimentum conſpergere; latice attrito pane prandia finire; ſomnum duris aſſeribus, aut lapillis per lintea diſperſis, non tàm capere, quàm cruciare. Ea mentis defatigatione, vitæque aſperitate dilabi vires, certiſque indiciis ad exitium eo certius, quo lentius, rapi. Itaque religioſæ Familiæ Moderator, cui omnes ille pectoris latebras, & pe-

penitus obſtruſos animi receſſus aperuerat, properè accerſitum ſeveriori excipit vultu. Aſſiduitatem orandi nimiam, & inconſultam ſtudii cæleſtis exuberantiam plurimis damnat. Ad internecionem immortalis pabulo voluptatis abuti, non eſſe ex ejus ingenio, qui obedientiam, non ſacrificium voluit. In poſterum ad brevioris dimenſionem clepſydræ orandi tempus cogeret. Laborum & mentis avocamenta largiùs ſumeret. Poſtremò, ut vitę conſulat, amare remiſſiùs, diſtricto cogit imperio. O Juvenem, ſive obſiſtat Moderatori ſuo, ſive obſequatur, æquè infelicem! O acerbam conditionem, qua ardentiſſimo pectori novum amandi genus injungitur, non amare! O crimen longè glorioſiſſimum, & cui nullæ non poſſint invidere virtutes! Cenſuram mulctamque ſubit copia charitatis: & quaſi Aloiſius peccare non poſſet, in Aloiſio, ſi fas eſt dicere, amor ipſe peccavit. Sæviſſimus ille Cæſarum, ad percipiendam Romæ magnitudinem, aranearum telas converri undique cogique juſſit: quibus in Foro ad montis ſpeciem coacervatis, Quantam, inquit, Romani cives, colatis urbem, ex hac tenuiſſimi operis immenſitate colligite. Ridendum planè, & ex cætero hominis in-

ingenio ſcurrile commentum. Non pauca hominum millia ineptiſſimo labore fatigavit, ut, textilibus penſis decuſſis, Romanæ amplitudinis araneos decempedatores induceret. Tot æſtimandam miraculis civitatem ſola ſordium magnitudine magnam oſtendit. Sed, invita vecordis Principis ſtoliditate, ſuo inaniſſimus labor documento non caruit. Suum eſt non in marmoribus ſolùm, ſed in hominum etiam vita maculis pretium. Nec cęleſtia dumtaxat corpora labeculæ quædam inſperſæ, ſed cæleſtes etiam animos prænotant atque diſtinguunt. Exhibitis Aloiſii Gonzagæ, tanquam nitidiſſimi ſideris, mendis aliquot, minimi laboris fuerit de ejuſdem magnitudine & claritate conjicere. Poſſem divini amoris beatiſſimis flammis inardeſcentem latiſſimè proſequi. Poſſem ad religioſæ paupertatis, caſtimoniæ, & obedientiæ exactiſſimam normam, omnem ejus vitę partem directam extollere. Poſtremò, ut rem breviſſimam faciam, non ejus dumtaxat vitæ Moderatorum, prudentia atque virtute præſtantiſſimorum hominum, ſuffragatione, ſed ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Magdalenæ de Pazzis accepto divinitus teſtimonio poſſem conficere, Aloiſium brevi annorum ambitu ad tam abſolutam vi-

ven-

vendi rationem provectum fuiſſe, ut facilè ſuperaverit immortalia multorum præmia, qui profuſo è venis ſanguine pro Chriſti nomine fortiter obierunt. Verùm quò minùs iſthuc excurram, de vitiis, non de virtutibus optimi Juvenis inſtituta remoratur oratio. Quòd ſi lapſus ipſi tam ſublimem Aloiſii ſanctitudinem profitentur, veſtri fuerit, Auditores, judicii reputare, quò demum illum extulerit tot tantarumque, quas impensè coluit, complexio nexuſque virtutum.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Prior numerus Tomum, ſecundus paginam indicat.

A

Adulatio. II. 206. & *ſeqq. ibid.* 255. & *ſeq.*
Ædificia. *Vide* Luxus & Deſcriptiones.
Ægiptii. *quibus utantur literis*. II. 81. *ibid.* 115. *quemadmodum Aſtrologiæ ſtudia coluerint*. II. 124. *cadaver adhibent in menſa*. II. 215.
Africæ populi. *ferarum imaginibus colorant nuda corpora*. II. 74. & *ſeq. vincuntur à Luſitanis*. *ibid.* 75.
Ageſilai præclarum effatum. I. 183. & *ſeq. illuſtre reſponſum ad Medicum Menecratem*. II. 76. *aliud egregiè dictum* II. 129.
Albanus Annibal, CLEMENTIS XI. P. M. *Fratris filius*. *Orationem habet in Sacello Pontificio, in Funere Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis* I. 64. *laudatur*. II. 5. & *ſeqq.*
Alexander Macedo. *opinione divinitatis multa vincit*. II. 81. *viros literatos permagni facit*, *ibid.* 118. *immenſis ſumptibus fovet Ariſtotelis eruditum otium*. II. 126. & *ſeq. ab Homerica Iliade ad pugnandum accenditur*. II. 138.
Alexander VIII. P. Maximus laudatur. II. 26. & *ſeq.*
Alfonſi Regis effatum illuſtre. II. 119.
B. *Aloiſius Gonzaga*, *cum Franciſco Gonzaga Mantuæ Mar-*

Marchione comparatus, eodem fortior evincitur. II. 217. *& ſeqq. à Ticino amne mirè non læditur.* II. 220. *& ſeqq. Ignis victor.* II. 223. *& ſeq. domi, & in aulis Principum integerrimus.* II. 226. *& ſeq. &* 241. *& ſeq. Societatem Jeſu ingreſſurus Patris duritiem ſuperat.* II. 228. *& ſeqq. vitæ aſperitas.* II. 232. *&* 247. *& ſequ. amor præſertim in ægrotos.* II. 234. *&* 239. *& ſeqq. ſtudium orandi. ibid.* 245. *& ſeq. Chriſtiana demiſſio.* II. 251. *& ſeq. à perexiguis aliquot vitæ maculis laudatur.* II. 254. *& ſeq. bellicis à puero ſtudiis inſueſcit.* II. 259. *& ſeq. exploſo majori ſclopo graviter triſtatur.* II. 260. *Licentiori prolata vocula impensè affligitur.* II. 261. *& ſeq. matrem vidiſſe luget pro crimine. ibid.* 263. *& ſeqq. ejuſdem modeſtia ſingularis.* II. 265. *& ſeq. à Moderatoribus cogitur remiſſiùs ſtudere divinis.* II. 267. *& ſeq.*

Alpheus, in mare influens dulces aquas ſervat. I. 146.

Amor conjugalis. I. 122. *& ſeq.*

Anacharſis judicium de Athenienſibus. II. 53. *& ſeq. item aliud.* II. 88.

Angeli cæleſtes orbes moderantur. I. 26. *Hominum ſalutem procurant. ibid.* 32. *& ſeq.*

Antonini Pii effatum illuſtre. II. 119.

Apes. earum induſtria, labor, ingenium. II. 199. *& ſeq.*

Appius Claudius. quanta eloquentia præſtiterit. II. 135.

Aranearum telæ adhibitæ ad monſtrandam Romæ magnitudinem. II. 268. *& ſeq.*

Arbor ſcientiæ boni & mali. II. 47. *& ſeq.*

Ariſtoteles. ingenioſos timidos eſſe docet. II. 73. *quanti fuerit habitus ab Alexandro Macedone.* II. 118. *& ibid.* 127. *ejuſdem de Spartiatis judicium.* II. 130.

S. Athanaſius. laudatur. II. 58. *& ſeq.*

Athenæ. nihil illis literæ profuerunt ad beatè vivendum, pro-

procul à vera Religione. II. 53. & *ſeq. cujuſmodi Simulacrum Minervæ colerent*. II. 81.
Atlas Mons. *partim horridus, partim cultiſſimus*. II. 92.
Attila à S. Leone P. M. fugatur. II. 136.

B

Barberinus Carolus S. R. E. Cardinalis Jacobo II. Magnæ Britanniæ Regi regiâ pompâ exequias facit. I. 41. & *ſeqq. ibid*. 62. & *ſeqq. Exequias adornat Joanni* III. *Poloniæ Regi*. I. 107. *et ſeqq.*
Bellica ars. *literis jungenda*. II. 105. & *ſeqq. ejus damna*. *ibid*. 108. & *ſeqq.*
Bias. *quomodo fugerit ex patria incenſa*. II. 122.
Bœotici. *jactabundi*. II. 73.
Bokus Joannes Caſimirus Polonæ Reipublicæ Ablegatus ad Romanum Pontificem. I. 107.
Brutus. *ſapiens ſimulatione ſtultitiæ*. II. 97.

C

Cadmus. *literarum inventor*. II. 114.
Cæſar, Dictator. ejus eloquentia ad milites. II. 138. & 139.
S. Caroli Boromei Templum in via Flaminia. I. 159. & *ſeq.*
Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Rex Angelicus. I. 24. & *ſeqq. mirus in eum Subditorum amor & obedientia inter ſiniſtros rerum eventus*. *ibid*. 27. & *ſeqq. ejus eximia pietas, & Religionis ſtudium*. *ibid*. 33. & *ſeq. reverentia ſingularis erga Panem Eucharisticum*. *ibid*. 35. & *ſeq. ejuſdem obitus*. II. 32.
Carolus II. *Magnæ Britanniæ Rex, Catholicus moritur*. I. 51.
Carolus, Caroli Lotharingiæ Ducis Filius, laudatur. I. 136.

Digitized by Google

Caſtriota Georgius . quanti habitus à militibus . II. 215. *& ſeq.*

Cato . diſcendi vel in ſenectute avidus . I. 190.

Cauponum vernulæ verſuti . II. 78. *& ſeq.*

Chocinium à Turcis obſeſſum & liberatum . I. 89. *ibid.* 97. *& ſeq.*

Chriſtus Dominus in ſuis cruciatibus , & ſanctiſſimo obitu ſub allegoria Navis expreſſus . I. 9. *& ſeqq. ſudore cruento diffluit . ibid.* 12. *& ſeq. à ſuis deſeritur . ibid.* 13. *& ſeq. illuditur injurioſè . ibid.* 14. *& ſeqq. latroni poſthabetur. ibid.* 17. *Flagellis cæditur. ibid. & ſeq. ſpineam gerit coronam . ibid.* 19. *in Cruce moritur . ibid.* 20. *poſt ejus obitum prodigia . ibid.* 21. *ex ejus morte generi humano enata commoda. ibid.* 22. *& ſeq. humanam naturam ſuſcipiens ſe nobiliter demiſit .* II. 143. *& ſeqq.*

Cicero . ejus dictum de ſeveritate . I. 188. *aliud de parſimonia .* II. 80. *item aliud de ſcientia dicendi ſibi reſervata.* II. 93. *& ſeq. ejuſdem de ſua moderatione dictum.* II. 103. *aliud ejus dictum ,* II. 129. *ejus judicium de Milone Crotoniate .* II. 134.

Cincinnatus , quomodo triumphum egerit . II. 154.

Cineas Orator. II. 135.

Cineres ſacri hominum capitibus inſperſi . II. 201. *&* 214 *& ſeq.*

Circulatores . II. 79.

Claſſis Carthaginienſis naufragium. I. 21. *& ſeq.*

CLEMENS XI. P. M. *Jacobum II. Magnæ Britanniæ Regem vitâ perfunctum laudat in cœtu Cardinalium .* I. 63. *Ornatum exequiarum Funebrem eidem Regi magnificè exhibitum à Carolo Cardinali Barberino humaniter inviſit . ibid.* 68. *ejuſdem pietas & ſolicitudo Urbe terræmotu laborante .* II. 192. *& ſeq. humanis & divi-*

nis literis excolitur in Collegio Romano cum inſigni profectu. II. 12. *& ſeq. & iterum* 19. *& ſeqq. ejus optima educatio.* II. 19. *& ſeq. Mores optimi. ibid.* 23. *& ſeq. Provinciæ Sabinenſi & Urbi Veteri preæſt eximia cum laude. ibid.* 24. *& ſeq. ejuſdem ſumma capacitas & integritas. ibid.* 26. *& ſeqq. Humanitas & ſtudium erga literatos. ibid.* 29. *& ſeq. Pontificatum acerrimè detrectat. ibid.* 33. *& ſeqq. Geſta in Pontificatu. ibid.* 39.

Columbus Chriſtophorus. laudatur. I. 170. *& ſeq.*

Coma fictitia. vide Luxus, & deſcriptiones.

Condæus Princeps Borbonius. laudatur, I. 48.

Convivium. vide Luxus, *&* Deſcriptiones.

Coriolanus Martius. Matris, & Sponſæ lacrimis flexus ab Urbe obſeſſa diſcedit. II. 229. *& ſeq.*

Cuniculi incendiarii. II. 244.

D

DElphin *anchoræ obvolutus quid inſinuet.* II. 103.

Demetrius Spartanus à prælio fugiens, à matre occiditur. II. 146. *& ſeqq.*

Demoſthenes. ejus oratio de extinctis ad Cheronæam II. 135.

DESCRIPTIONES PRÆCIPUÆ.

Apium Reipublicæ. II. 199. *& ſeqq.*

Doctrinæ cum pietate conjunctæ. I. 182., *& ſeq. variæ, & eximiæ.* II. 21., *& ſeq. Adverſus hæreticos dimicantis.* II. 55. *& ſeq. Cum aliis communicatæ.* II. 93., *& ſeqq. Jactantiam refugientis.* II. 23. *ibid.* 71. *& ſeq. ibid.* 81. *& ſeq.*

Doctrinæ, & præſtantię Sacrorũ Voluminũ. II. 89. *& ſeq.*

Educationis ingenuæ. I. 142. *& ſeq., & iterum* 172., *& ſeq.* II. 19. *& ſeq. ibid.* 23. *& ſeq.*

Exequialis pompæ. I. 62. *& ſeqq. & ibid.* 106. *& ſeqq.*

Hæreſeos propagatæ. II. 55., & ſeq. *Domitæ catholicorum doctrinâ*. II. 58. & ſeqq. & iterum 63, & ſeq. *Civitatibus exitioſæ*. II. 85. & ſeq.
Fortitudinis veræ. I. 118. & ſeq.
Hominis recens nati. II. 202. & ſeq.
Judicis eximii. I. 155. & ſeq.
Juris prudentiæ. I. 150. & ſeqq.
Liberalitatis præcipuè in res ſacras. I. 158. & ſeq. & ibid. 161. & ſeq.
Luxus. *Ædificiorum*. II. 208. & ſeq. *Conviviorum*. II. 209. & ſeq. *Sepulcrorum*. II. 212. & ſeq. *Veſtium*, & *cæteri ornatus*. II. 210., & ſeq. *Viridariorum*. I. 162. & ſeq.
Nobilitatis cum præclarè factis jungendæ. I. 140. & ſeq. & iterum. 171. & ſeq.
Novitatis in pretio habitæ. II. 237. & ſeq.
Philoſophici ſtudii. I. 149. & ſeq.
Pugnæ Navalis. I. 49. & ſeq.
Romanæ Sedis claritatis & firmitudinis. II. 62., & ſeq
Templi. I. 159. & ſeq.
Deſidia. *fugienda*. I. 147. II. 20. *ſumpta ad aſſentationem*. II. 97. & ſeq.
Dianæ Epheſiæ mirum ſimulacrum. I. 187.
Diogenes. *dolium verſat, aliis dimicantibus*. II. 136.
Divitiæ. *anxiè quæſitæ*. II. 122. *nihil conferunt ad ſapientiam comparandam*. ibid. & ſeqq.
Doctrina. *pietati jungenda*. I. 182. & ſeq. *ſuperbiam refugiens* ibid. 189. *qui doctiores ſunt avidiùs diſcunt*. ibid. 190. & ſeq. *ejuſdem varietas & excellentia*. II. 21. & ſeq. *jactantiam refugit*. II. 23. & 71. & ſeq. *aliis communicanda*. II. 24. & iterum 93. & ſeqq. *Religioni jungenda*. ibid. 45. & ſeqq. *modum in ea ſervare, difficile*.

Digitized by Google

II. 69. & ſeq. non eſt jactanda. II. 81. & ſeq Superbè habita exitio eſt civitatibus. II. 84. & ſeq. doctrina ſacrorum voluminum latè laudata. II. 89. & ſeq. mirum in modum juvat artem bellicam. II. 105. & ſeqq Principum patrocinio indiget. II. 116. & ſeq. à Principibus permagni habita. ibid. 117. & ſeqq otio & tranquillitate animi gaudet. II. 120. & ſeq. floruit cum armorum ſtudio. II. 140. & ſeqq.

Dolor & lætitia ſumma vocem adimunt. II. 12. & ſeq.

E

EDucatio pia & ingenua. I. 142. & ſeq. ibid. 172. & ſeq. II. 19. & ſeq. 23. & ſeq.

Eleonora Auſtriaca, Poloniæ Regina, Lotharingiæ Barrique Dux. Michaeli Poloniæ Regi nubit. I. 119. Caroli Lotharingiæ Ducis Uxor. ibid. 120. & ſeq. ejuſdem erga Sponſum, ſtudium, conſtantia, & pietas. ibid. 122. & ſeqq. liberalitate, & aſſiduis ad Deum precibus Hungaricum bellum ſuſtentat. ibid. 124. & ſeq. in toleranda Lotharingii morte conſtantia. ibid. 127. & ſeq. filios ſanctè educat. ibid. 128. & ſeq. pietas, & obſequium in Romanos Pontifices. ibid. 131. & ſeq. officia & ſolicitudo pro recuperanda Filiis Lotharingia. ibid. 132. & ſeq. in ipſo Lotharingiæ ingreſſu diem obit. ibid. 133.

Eloquentia Forum tractantium virilis. I. 148. Seditiones componit. II. 130 & ſeq.

Epicteti lucerna. II. 123.

Epicurus. num vixerit juxta illam ipſius ſententiam: Vive latens. II. 94. & ſeqq.

Eridanus furtis aquarum dives. I. 142.

Digitized by Google

Etbeoclis Ephori effatum memorabile. I. 172. *& ſeq.*
Euripides. quid ſenſerit de Helena rapta. II. 79.
Exequialis pompa latè deſcripta. I. 62. *& ſeqq. & iterum ibid.* 106. *& ſeqq.*

F

FIdes Catholica, etiam à minimis maculis vindicanda. I. 186. *& ſeq. Hæreticorum victrix. Vide Hęreſis. difficillima ſuadentis incrementa.* II. 125.
Fluvii augentur dum deprimuntur. II. 153.
Forma corporis inſignis. II. 18. *& ſeq.*
Fortitudo Chriſtiana. I. 118. *et ſeq. animum componit.* II. 219. *et ſeq.*
Fulvius Nobilior. Camœnarum ſtatuas quomodo dedicaverit. II. 115.

G

GErmanorum Veterum veſtis, cum Diis gratias agerent. II. 13.
Gonzaga Franciſcus, Mantuæ Marchio. pugnat ad Tarum. II. 220. *ejuſdem militaris cum copiis receptus.* II. 225. *et ſeq. Placentiam aſſerit* II. 228.
Gorgias Leontinus. Sapientiæ oſtentator. II. 82. *et ſeq.*
Græcia. cujuſmodi Deos coluerit. II. 152.
Grues. de literis et armis præclarè meritæ. II. 114. *et ſeq.*

H

HElenæ effigies rudiiter à Pictore poſita. I. 141. *ejuſdem Encomium apud Iſocratem. ibid.*

He-

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Heraclitus quid ſenſerit de legibus. I. 150.
Hercules. Voluptate repudiata, Virtutem ſequitur. I. 143. et ſeq. ſapientia quàm robore præſtat. II. 133. et ſeq. ejuſdem cineres ab Alcmena prolati. II. 215.
Hæreſis. latè propagata. II. 55. et ſeqq. à Catholicis Doctoribus domita. ibid. 58. et ſeq. et iterum. 63. et ſeq. exitio eſt civitatibus. II. 85. et ſeq.
Heſiodus. ejus dictum de Amore. II. 150. dictum de vultu Principis. II. 18.
Hippias Eleus. Sapientiæ oſtentator. II. 83. et ſeq.
Homerus. Uliſsæos labores læto exitu claudit. I. 19. et ſeq. quemadmodum loquentes inducat Ulyſſem et Neſtorem, II. 72. et ſeq. Eloquentes fortibus præfert. II. 139.
Homodeus Aloiſius Cardinalis. præclarè educatur. I. 142. et ſeqq. Humanas excolit literas. ibid. 146. et ſeq. ſtudia item Philoſophica. ibid. 149. et ſeq. præcipuè verò Juriſprudentiam. ibid. 150. et ſeqq. inculpatè agit in Academia Peruſina. ibid. 152. Romæ eximia cum laude verſatur. ibid. 153. et ſeqq. ejus liberalitas. ibid. 158. et ſeq. Templum S. Caroli Boromei magnificè exornat. ibid. 159. et ſeq. Tuſculanos S. Romualdi Eremicolas pecuniâ ſublevat, et eorum ſilvulam muro circumdat. ibid. 162. et ſeqq.
Horologium ex Amici cineribus. II. 214.
Humaniores literæ. nobilem Virum exornant. I. 146. et ſeq. pietati jungendæ. II. 52.

I

JAcobi Patriarchæ Scala. II. 48.
Jacobus II. Magnæ Britanniæ Rex, adhuc puer pro Carolo Rege Patre dimicat. I. 45. & ſeqq. mira ejus

conſtantia. ibid. virtus bellica ibid. 47. & ſeq. Inſignis ejus Victoria navalis adverſus Hollandos. ibid. 48. et ſeqq. Calvinianis pactionibus ſubſcribere abnuit. ibid. 50. & ſeq. Annæ Conjugi, & Carolo Regi Fratri Author eſt ut Catholica Sacra ſuſcipiant. ibid. 51. eximium ſtudium Catholicæ Fidei ibid. 52. Nuncium Pontificium excipit. ibid. 52. & ſeq. Oratorem ad Pontificem mittit. ibid. 54. & ſeq. ejuſdem in Gallia Exulis mira Conſtantia & Pietas. ibid. 56. & ſeqq. CLEMENTIS. XI. P. M. de ejus virtute teſtimonium. ibid. 63.

Jacobus III. magnæ Britanniæ Rex. Laudatur I. 40. & ſeq. ibid. 57. à Ludovico XIV. Galliæ Rege Rex pronunciatur. ibid. 61.

Ignis vehementia. II. 179. & ſeq.

Innocentius. XI. P. M. à Joanne III. Poloniæ Rege donatur vexillo, direpto à Viſirii tentorio. I. 93. ibid. 101. ejuſdem ſtudium in Carolum Lotharingiæ Principem ibid. 131 & 136. Laudatur. II. 157. & ſeq.

Innocentius XII. P. M. Eleonoræ Auſtriacæ, Poloniæ Reginæ impensè favet. I. 131. & ſeq. ejuſdem in Carolum Principem Lotharingum liberalitas. ibid. 136. Laudatur. II. 173. & ſeqq.

Joannes III. Poloniæ Rex. Turcas cogit Chocinio decedere. I. 89 ibid. 97. & ſeq. obſeſſam Viennam memorabili victoria fuſo Turcarum exercitu liberat. I. 90. & ſeq. 98. & ſeq. Turcicas copias fugat ad Barchanum I. 91. ibid. 101. ejuſdem pietas. I. 92. & ſeq. & 100. & ſeq. obſequium in Apoſtolicam Sedem. 93. & ſeq. eruditio & doctrina. 103. iterum de ejus laudibus. ibid. 120. & ſeq.

Iſocratis Encomium Helenæ. I. 141. ejuſdem illuſtre effatum. II. 20.

Ju-

Digitized by Google

Judicis eximii prærogativa. I. 155. & *ſeq.*
Juris prudentiæ laudes. I. 150. & *ſeqq.*

L

LEgiſlatores. *à Diis leges acceperunt*. I. 151. II. 96.
Leo X. Pontifex Max. literatis impensè favet. II. 119. & *ſeq.*
Leopoldus Dux Lotharingiæ. laudatur. I. 135. & *ſeq.*
Liberalitatis laudes. I. 158. & *ſeq. præcipuè cùm res ſacras procurat. ibidem*. 161. & *ſeq.*
Libri obſceni & inutiles. vitandi. I. 147. & *ſeq.*
Ludovicus XIV. Galliæ Rex Jacobum II. magnæ Britanniæ Regem extorrem excipit. I. 57. *Walliæ Principem, magnæ Britanniæ Regem ſalutat. ibid.* 61.
Luxus. Ædificiorum. I. 161. II. 208. & *ſeq. viridariorum* I. 162. & *ſeq. conviviorum*. II. 209. & *ſeq. veſtium*. II. 210. & *ſeq. fictitiæ comæ*. II. 211. *ſepulcrorum*. II. 212. & *ſeq*
Lycurgus. Militiam potiùs quam mores reſpexit in legibus. II. 219.

M

MAcchiavellus Nicolaus. *proferendi imperii docet artes præpoſteras*. II. 60. & *ſeqq.*
Magiſtratum refugientes optimè aliis imperant. I. 183. & *ſeq.*
Maria Eſtenſis magnæ Britanniæ Regina. laudatur. I. 40. & *ſeq. ibid.* 57.
Maris pericula. I. 11. & *ſeq.*
Memoriæ vis. II. 20.

Minerva. cujuſmodi ſimulacrum Athenis habuerit. II. 81.
Martem vulnerat. II. 116.
Milo Crotoniates. corpore quam mente validior. II. 133. & *ſeq.*
Mirandulanus Picus. Sacram Scientiam amplectitur profanæ tædio. II. 89. & *ſeq.*
Moduli illuſtrium imaginum rudes. I. 142.
Mores optimi. I. 142. & *ſeq.* & *iterum* 172. & *ſeq.* II. 19. & *ſeq.* 23. & *ſeq. pravi.* II. 182. *correcti. ibid.* 184. & *ſeqq.*
Morum Magiſter. I. 145. & *ſeq. ibid.* 176.
Mors amicorum fortiter & ſedatè ferenda. I. 138. & *ſeq.*
Muſica. mores componit. I. 184.

N

N*Autæ. aſtrorum ſcientiâ curſum moderantur.* II. 68. & *ſeq.*
Nobilitas generis præclarè geſtis ornanda. I. 140. & *ſeq.* 172. & *ſeq.* II. 17. & *ſeq.*
Novitas. mirè allicit. II. 237. & *ſeqq.*

O

O*Vidius. Studiis literarum exilium mitigat.* II. 102.

P

P*Alamedes. literarum inventor.* II. 114.
Paupertas. colitur à viris ſapientibus. II. 121. & *ſeqq.*

Pau-

INDEE RERUM PRÆCIPUARUM.

Pauſanias. mirum refert Minervę Simulacrum. II. 82.
Philoſophiæ utilitas. I. 149. & *ſeq.*
Pietas. Vide Mores optimi.
Plato. quemadmodum virtutem expreſſerit. I. 167. *cur numquam geſſerit Magiſtratum. ibid.* 172. *probè Muſicam moribus corrigendis induxit.* I. 184. *Civitatem inſtituit.* II. 16. *Geometriam plurimi facit.* II. 44. *Sophiſtas inſectatur.* II. 71. *Principem Philoſophum optat.* II. 84. *ejus dictum de Amore.* II. 151. *Rempublicam Lycurgo meliùs inſtituit.* II. 219. *ejus dictum inſigne.* II. 120. *inſtituta ab eodem Civitas.* II. 124. & *ſeq.*
Plinii dictum de Arabia Felice. II. 120.
Plotinus Platonicus irriſus à Galieno Cæſare. II. 124. & *ſeq.*
Porſena. ejus ſuperbè dictum. II. 137.
Prædicatorum PP. Ordo. laudatur. I. 177. & *ſeqq.*
Principes. literarum ſtudia fovere debent. II. 116. & *ſeq. timent ſe dimittere.* II. 143. & *ſeqq.*
Prodici Sophiſtæ commentum de bivio Herculis. I. 143.
Protheus. coactus præſagia faciebat. II. 50.
Pugna navalis. I. 49. & *ſeq.*
Puteobonellus Dominicus. laudatur à patria & genere. I. 170. *et ſeq. piè educatur ibid.* 172. & *ſeqq. ejuſdem præclarum ingenium & pietas. ibid.* 174. & *ſeqq. Ordinem PP. Prædicatorum amplectitur. ibid.* 177. *ejuſdem doctrina ibid.* 181. & *ſeq. præclarè præeſt Religioſo cœnobio. ibid.* 183. & *ſeqq. Cauſarum S. Officii Commiſſarius Generalis. ibid.* 185. *S. Palatii Apoſtolici Magiſter. ibid.* 188. *ejuſdem doctrina, modeſtia, & probitas. ibid.* 189. & *ſeqq.*
Pythagoræ dictum de Magiſtratu vitando. II. 16.

R

REligio. *Artes ingenuas bonas facit*. II. 45. *& ſeqq. Vide*. Fides Catholica.
RELIGIONI AC BONIS ARTIBUS: *Inſcriptio præfixa Collegio Romano expenditur*. II. 43. *et ſeq. et iterum*. 67.
Roggerius Palmerius, Comes de Caſtelmain, Jacobi II. magnæ Britann.æ Regis Orator Romam miſſus. I. 54. *et ſeq.*
Roma foris victrix, domi ſeditionibus laborat. I. 31. *in extremum diſcrimen adducta; Camillo exule. ibid.* 58. *quamdiu ſuperſtitionem coluit, nihil ei ad beatè vivendum literæ profuerunt*. II. 54. *Romanæ Sedis firmitas & claritudo*. II. 62. *et ſeqq. ejus Sacrum Imperium*. II. 197. *et ſeq. ibid*. 187. *et ſeq.*
S. Romualdi Templum et cœnobium Tuſculanum. I. 163. *et ſeqq.*

S

SAcellum B. Aloiſio Gonzagæ dicatum in Templo S. Ignatii*. II. 249. *et ſeq.*
Sapientia. Vide. *Doctrina*.
Savona. laudatur. I. 170.
Scipio Africanus. cujuſmodi villam Linterni condiderit. I. 164. *et ſeq. literatos excoluit viros*. II. 117. *et ſeq.*
Scipio Naſica. clarus integritate vitæ. II. 217. *et ſeq.*
Scriptura Sacra. Vide Deſcriptiones, & Doctrina.
Sepulcrum. vide Luxus *et* Deſcriptiones.
Severus Cæſar. Ulpianum defendit periculo ſuo. II. 118.

Si-

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Simulatio. perpetua hominum ſocia. II. 202. *et ſeqq.*
Solis effigies cryſtallo incluſa. II. 70.
Spartanæ nutrices. quo cantu infantes conſopirent. II. 259.
Spartiatæ. tibiis pugnas moderantur. II. 73. *coquum cupedinarium exilio mulctant*. II. 79. *et ſeq. Muſis litant ante pugnam. ibid.* 115. *ab Ariſtotele reprehenſi*. II. 130.
Spiritus Sancti beneficia. II. 164. *et ſeqq. uſque ad* 198.

T

Acitus Julii Agricolæ deſidiam laudat. II. 98. *et ſeq.*
Thales. ejus dictum de Amore. II. 150.
Theologica Scientia. II. 21. *et ſeq.*
Tigris fluvius. diu ſub terra tectus auctior erumpit. II. 101.
Toxili, apud Plautum ſervuli, illuſtre dictum de Amore. I. 144. *et ſeq.*
Turcicorum Regum Principatus violens, et cruentis ſeditionibus obnoxius. I. 29. *et ſeq.*
Turennius Henricus Vicecomes. laudatur. I. 48.

V

Enus. armata Spartam obequitat. I. 148. *ejus Simulacrum altero pede teſtudinem premens*. II. 93.
Veſtes. vide Luxus, *et* Deſcriptiones.
Vienna à Turcis obſeſſa liberatur. I. 90. *et ſeq. ibid.* 98. *et ſeq.*
Viridiarum. vide Luxus, *et* Deſcriptiones.
Virtus. quemadmodum expreſſa à Platone et Xenophonte I. 167. *et ſeq. à Prodico. ibid.* 143. *à Poetis ibid.* 168
Vita calamitatibus obſita. I. 19. *et ſeq.*

Ulyſ-

Ulyſſes diu jactatus in patriam appellit. I. 19. *et ſeq.*
Uniones quomodo naſcantur. II. 169.
Voluptas . fugienda . I. 144. II. 23. *et ſeq. Herculi fruſtra ſe ducem offert*. I. 143.
Urbanus VIII. reſtituendæ in magnæ Britanniç Regnis Religionis ſtudioſiſſimus. I. 64. *et ſeq.*
Uvalliç Princeps. Vide Jacobus III. Magnç Britanniç Rex.

X

X*Enophon . quomodo virtutem expreſſerit*. I. 168. *ejuſdem illuſtre effatum*. II. 66.

Z

Z*Enonis illuſtre dictum*. II. 122. *et ſeq.*
Zoroaſtres . ridendo naſcitur. II. 203.

ER-

Digitized by Google